P. Hoffmann
Diss. Breslau
1910.

DE ANAGNORISMO

Dissertatio inauguralis philologica
quam amplissimi
philosophorum Vratislaviensium ordinis
consensu et auctoritate
ad summos in philosophia honores
rite capessendos scripsit

Paulus Hoffmann
Silesius

Die V mensis Aprilis anni MCMX hora XII
in aula musica disseret doctorandus

„De choro et prologo Menandreo“
deinde erit promotio

Vratislaviae
Typis officinae A. Favorke
MCMX

De dissertatione probanda ad ordinem
philosophorum rettulit **Fr. Skutsch**

Examen rigorosum habitum est die XV. mensis Decembris MCMIX

Francisco Skutsch

sacrum

Variis studiis magis magisque apparuit poetas Graecos certa artificia excoluisse, ad quae in novis fabulis componendis recurrerent[1]). Quibus in artificiis summum locum obtinet *ἀναγνωρισμός*. Quem, si tragoedias nobis traditas perlustramus, iam Aeschylus in Choephoris adhibuit, Sophocles in Oedipode Rege et Electra, Euripides in Electra, Ione, Iphigenia Taurica, Helena. Saepius autem et illos clarissimos poetas et posteros tragicos cognitione usos esse ex reliquiis et argumentis fabularum perditarum cognoscimus quibus restituendis F. G. Welcker[2]) et A. Nauck[3]) operam dederunt. Illorum autem etiam in hac re vestigia presserunt tragici Romani, quorum fragmenta O. Ribbeck collegit atque explicuit[4]). Omnium vero saepissime *ἀναγνωρισμὸν* in comoedia quae *νέα* vocatur inveniri omnibus notum est. Quare de hoc artificio quamquam iam multi viri docti hic illic multa protulerunt, continua commentatione agere operae pretium esse mihi videtur. Iam Aristoteles in eo quem de arte poetica scripsit libello de cognitionibus uberius disputans (c. 11. 14. 16), c. 11, 1452 a 29 hanc praebet definitionem: *ἀναγνώρισις δὲ ὥσπερ καὶ τοὔνομα σημαίνει ἐξ ἀγνοίας εἰς γνῶσιν μεταβολή ἢ εἰς φιλίαν ἢ εἰς ἔχθραν τῶν πρὸς εὐτυχίαν ἢ δυστυχίαν ὡρισμένων.* Homines igitur separati se cognoscunt et aut amicitia rursus coniunguntur aut quod rarius accidit, inimicitias ineunt, qua in re bona aut mala eorum fortuna posita est. Atque primum quidem qua arte poetae et in tragoediis et in comoediis *ἀναγνώρισιν* composuerint quaeramus, deinde quo modo usus mutatus sit et unde hoc artificium in poesin dramaticam pervenerit.

---

[1]) cf. K. Witte quaestiones tragicae, diss. Vrat. 1908 p. 1. adn. 1 et 2.

[2]) Die Griechischen Tragödien 1839, 1841, quos libros infra littera W designabo.

[3]) Tragicorum Graecorum fragmenta 1889[2].

[4]) Scaenicae Romanorum poesis fragmenta Lips. 1871. Die römische Tragödie 1875, qui liber infra littera R significabitur.

Caput I.

Qua arte ἀναγνώρισις composita sit.

1.

Qui homines se agnoscant.

§ 1. Inter quos ἀναγνώρισις fiat si quaerimus, apertum est eam fieri non posse nisi inter homines aliquo modo inter se coniunctos: inter amicos, hospites, inimicos vel, quod in fabulis solum accidit, inter cognatos. Animadvertendum autem est in tragoediis a parentibus plerumque filios aut filiorum filios inveniri sive a patre: in Sophoclis Alexandro, Peleo, Larissaeis, Ulixe qui vocatur ἀκανθοπλήξ, Thyeste; in Euripidis (et Ennii) Alexandro, Aegeo, Auga; sive ab avo in eiusdem poetae Alopa, Oineo, Melanippa philosopha et in Soph. Aleadibus et in ignoti poetae Antigona[1]); sive a matre: in Soph. Oed. R., Chryse, Mysis, Tyrone; in Eur. Ione, Antiopa, Cresphonte, Dictye, Hypsipyla, Melanippa Captiva; in Pacuvii Atalanta, Antiopa, Chryse. Perraro autem filia invenitur ut in Eur. Alcmaeone. In comoediis contra semper fere filiae reperiuntur — filius in Plauti Captivis, Vidularia, fratris filius praeter duas filias in Plauti Poenulo — et plerumque a patre[2]). Matri, quam in tragoediis aequas atque maritum partes agentem videmus, in comoediis Plauti i. e. Menandri Cistellaria et Terentii i. e. Menandri Heaut. tim. exceptis locus non est. Ita tragoedias et comoedias in personis adhibendis differre inde explicari potest, quod filiae re vera saepius exponebantur et in comoediis nuptiarum iungendarum causa praeferebantur[3]) et matres omnino ut in vita ita in comoediis minores partes agebant, in tragoediis autem filios inveniri poetae malebant, quia per filios recuperatos actio vehementius promoveri poterat, quod effectum est velut in Soph. Tyrone et Eur. Antiopa, quibus in fabulis filii matres calamitate liberant inimicosque ulciscuntur. Frater autem et soror et in tragoediis et in comoediis se cognoscunt ut Orestes et Electra in illis tribus tragoediis omnibus notis et in Eur. Iph. Taur. (Naevii Iph.) Soph.

---

[1]) cf. p. 5.

[2]) cf. Leo Plautinische Forschungen p. 143.

[3]) O. Köhler de Heaut. compositione Lips. (diss) 1908 p. 21[4] adnotat nulla in fabula filium olim expositum inveniri, filias vero patres tollere saepe noluisse, ne quando dotem dare cogerentur, cf. Heaut. 838. 937 sq.

Alete, Chryse (Pacuv. Chryse) atque in Menandri Periceiromena, in Plauti Curculione, Epidico, in Terentii Eunucho, fratres in Plauti Menaechmis. Denique maritus et uxor *ἀναγνωρίσει* coniunguntur in Eur. Helena, in Menandri Epitrepontibus, Terentii Hecyra. Similis res est in Plauti Epidico, ubi vir mulierem, quam antea compresserat, cognoscit et haec illum.

2.

Qua in re *ἀναγνώρισις* posita sit.

§ 2. Eiusmodi igitur homines cognati separantur, deinde aliqua fortuna rursus coniunguntur. Quo modo separentur nunc demonstretur. Saepissime accidit, ut parentes variis causis commoti liberos exponant[1]). In Sophoclis Oedipode Rege pater filium, in Aleadibus avus nepotem exponit oraculum veritus, quo ab his eum vel domum eius interituram esse praedictum erat. Ob eandem causam Hecuba in Euripidis Alexandro filium modo natum satelliti interficiendum tradit. Is autem misericordia motus puerum proicit. Saepe matres partum suum, quem parentes vel maritos celare volunt, exponunt, ut apud Euripidem Creusa (in Ione), Alopa, Melanippa Philosopha[2]), apud Sophoclem Tyro, apud Menandrum Pamphila (Epitr.), quae a marito utroque nesciente Tauropoliis gravida facta est, et Phanostrata in Plauti (i. e. Menandri) Cistell., quae idem Dionysiis a viro cui postea nupsit passa est[3]). Neque aliter rem se habere existimo in Menandri Heroe. Myrrhinam enim a viro, qui eam postea in matrimonium duxit, compressam gemellos partos exponendos curavisse verisimile mihi est quippe quae liberorum condicionem nesciat; *οὐκ εἰδυῖα δ' ἡ μήτηρ* (v. 9 argumenti metrici[4]). Aliis autem in fabulis matres non ipsae

---

[1]) Multa exempla ex variarum gentium fabulis enarrat Otto Rank Der Mythus von der Geburt des Helden, Schriften zur angewandten Seelenkunde V 1909 p. 12—60, enarratisque exemplis eas res quae omnium communes sunt colligit (p. 61), deinde unde hae fabulae quae ad idem exemplar videntur spectare ortae sint, disserit.

[2]) cf. W II 548.

[3]) de stupro festo die facto cf. Leo Plaut. Forsch. p. 143.

[4]) Minus accurate argumentum initio habere *τεκοῦσα παρθένος ἔδωκεν ἐπιτρόπῳ τρέφειν* cum Koertio (Menandrea Lipsiae 1910 in praefatione p. XIV adn 1) consentio. Neque vero credo Myrrhinam liberos tra-

liberos exponunt, sed liberi eis invitis eripiuntur et proiciuntur. Quod patiuntur Melanippa in Eur. Melanippa Captiva et Antiopa, quam pueros in Cithaerone partos, cum ab inimicis in cruciatum duceretur, proicere ab his coactam esse verisimile est, et Auga, cuius filium Telephum ab Hercule ebrio genitum Aleos pater stupro cognito exponit, et Sostrata in Terentii (i. e. Menandri) Heaut., quod maritus filiam tollere noluit (v. 626). Idem facit Pataecus in Menandri Peric. propter uxoris mortem et paupertatem (v. 372)[1]. Neque causam expositionis non comperimus in Plauti Casina. Infantes autem tollere et educare aut exponere vel necare et apud Graecos et Romanos parentibus vel patri licebat[2]. Ii autem qui pueros exponebant mitius agebant quam qui necabant. Expositos enim liberos servatum iri spes erat. Quare saepius accidit, ut ii, qui liberos interficere iussi erant, misericordia moti proicerent, ut Sostrata in Ter. Heaut. (cf. v. 634 sq.) et pastor ille in Soph. Oed. R. (cf. v. 1174 sq.). Qua spe adducti parentes infantibus signa addunt, quibus occasione data eos cognoscant ut *δέραια, ἱμάτιον, σπάργανα*, anulum, crepundia aliaque[3]. Quanta autem spe puellae proiectae si fors ferret recuperandae Phanostrata in Plauti Cist. affecta sit, maxime inde apparet, quod servum, qui illam proiecit, filiam amissam quaerere iubet. Observavit enim hic, quae mulier puellam sustulerit et quo detulerit (v. 167 sq.). Quo modo puella, quam mulier ex-

---

didisse, sed Sophronam, quae eos exponere iussa erat, sed misericordia mota ut Sostrata in Ter. Heaut. (cf. infra p. 4) servavit.

[1]) in editione Koertii modo laudata, quam semper ubi Menandri versus citabo sequar. Praeter Koertium ‚Menandri reliquias nuper repertas' edidit S. Sudhaus Bonn 1909.

[2]) In legibus Gortyniis IV 45 summa in liberos partos potestas patri permissa est. Is si tollere non vult, res ad matris arbitrium venit. Praeterea velim conferas Welcker Gr. Tr. II 548; Schoemann-Lipsius Griechische Altertümer[4] p. 109, 545. Quarto demum saeculo infantes exponi videtur vetitum esse. Cui legi quod non obtemperabatur, Tertullianus ad nationes I 15 increpat; cf. Mau Aussetzung R E II 2588.

[3]) Eadem signa in Indorum poesi dramatica adhibita sunt, cf. S. Lévi le Théâtre Indien Paris 1890 p. 352 sq.; de eo quod abhijñanaçakuntala inscribitur dramate, vide infra p. 34[2] huius comm. Poetae autem Indorum utrum Graeca exempla imitati sint, an id quod Lévi (p. 343 sq.) demonstrare conatur, ipsi suo ingenio omnia composuerint, dubium est.

ponebat, servata sit, etiam in Plauti Casina v. 39 sq. narratur: *servus . . . conspicatust primulo crepusculo puellam exponi. adit extemplo ad mulierem . . . orat ut eam det sibi.* Puellam acceptam ut educet, impetrat ab era sua. Sed in tragoediis ut sunt natura graviores et sublimiores, ea omnia plerumque miraculosius accidunt. Ii, qui virgines comprimunt, saepe dei sunt: Iuppiter, Apollo, Hercules, saepius Neptunus, et miro modo eorum liberi, si a matribus expositi sunt, servantur, ut in Soph. Tyrone ab equa vel cane, in Soph. Aleadibus et Eur. Auga a cerva, in Eur. Alexandro ab urso, in Alopa ab equa, in Melanippa a vacca, in Naevii Romulo a lupa [1]). Ab iis bestiis nutriti omnes a pastoribus inveniuntur atque educantur.

Etiam alio modo cognati in tragoediis separantur: pueri hospitibus educandi traduntur. Orestes ad Strophium regem mittitur in Aesch. Choeph. a Clytaemestra, quae apud eum filium tutissime vivere simulat (Ag. 877 sq.), in Soph. et. Eur. Electra per paedagogum, ne domi a Clytaemestra interficiatur. Et in Eur. Cresphonte Meropa filium suum, ut ab insidiis Polyphontis novi mariti tutus esset, domi hospitis cuiusdam Aetoli condidit. Apud eundem poetam Alcmaeon eos quos cum Manto genuerat liberos ad Creontem Corinthi regem educandos portavit. Denique in ea Antigonae fabula, cuius argumentum Hygini fabula 72. praebet, Haemon Antigonam, quam a patre Creonte interficere iussus erat, misericordia atque amore commotus ad pastores misit, apud quos et ea et filius, quem ex Haemone peperit, clam versantur.

In comoediis autem liberi ut saepissime exponuntur ita creberrime parentibus rapiuntur: in Plauti Capt. Curc. Epid. Men. Poen. Rud. (Diphili) et in Terentii (i. e. Menandri) Eunucho pueri a praedonibus rapti veneunt. Idem etiam liberi expositi saepe patiuntur. Puellae enim vel expositae vel raptae plerumque lenoni vel lenae veneunt ut in Plauti (i. e. Menandri) Cist. Poen. Rud. (Diph.) Curc., rarius meliorem vitae condicionem adipiscuntur ut in Menandri Peric., Ter. (i. e. Menandri) Eun., Plauti Casina (Diph.), quibus in fabulis puellae in manus clementium mulierum veniunt, quae optime eis consulunt. Sed etiam eis, quae lenonis domi

---

[1]) de eius modi miraculis cf. W. II p. 714 adn. 4, de Naevii Romulo et Soph. Tyrone cf. infra p. 48.

versantur, contingit, ut pudicitiam servent (Cist. 171 sq., Curc. 57 sq., Poen. 1137 sq.)[1]. Pueri autem bonam fortunam assequuntur: in Menandri Peric., Plauti Menaechmis, Poen. a divitibus hominibus emuntur et adoptantur. Solus Tyndarus (Capt.) est in servitute. Quae autem puero servando opera detur, ex Menandri Epitr. videre licet, ubi Syriscus *γνωρίσματα* a Davo postulare non desinit, quod sperat iis puerum clarissimos fortasse parentes inventurum esse. Qua pulchra scaena Menandrum Euripidis Alopam imitatum esse Fischl (Herm. 43, 311) demonstravit. Ea autem re hae scaenae inter se differunt, quod apud Euripidem Cercyon litem diiudicaturus vestem filiae cognoscit atque se invenisse nepotem suspicatur, quae suspicio a nutrice confirmatur, in Epitr. autem Smicrines solum iudicium facit neque quidquam de quo puero agatur ei in mentem venit. Euripides autem qui ita litem fecit, ut inde *ἀναγνώρισις* fieret, maiore arte rem instituisse mihi videtur quam Menander, qui quae apte inter se cohaerent diremit[2]. Disceptatio autem apud Menandrum inde orta est, quod is qui invenit puerum cum alii homini tradat, *γνωρίσματα* sibi retinere conatur, quod alio loco nusquam fit, sed semper *γνωρίσματα* cum pueris traduntur. Atque etiam mirari debemus quanta diligentia saepe servata sint, si puer vel puella tam varia fortuna usa est quam ut exemplum afferam in Ter. Eun., ubi Pamphila a piratis ex Attica rapta in manus mercatoris venit, ab hoc autem Samiae meretrici Rhodi dono data est. Quae cum mortua esset, filius puellam hereditate acceptam viro cuidam vendidit, qui amore Thaidis sororis eius a quo puellam emerat motus huic meretrici donavit. Et tamen Thais *γνωρίσματα* per tot fortunae vires servata habet (v. 108—136)[3].

---

[1]) cf. Skutsch Herm. 39, 301 qui ex eiusmodi locis similes versus Casinae v. 81 sq. in quam comoediam cum civis libera educetur non quadrent, translatos esse conicit.

[2]) Contra de earum scaenarum arte iudicat Koerte l. l. in praef. p. XXIII. Iterum autem iudicium cum cognitione coniunctum est in Plauti Rudente (Diph.) et ut est verisimile in eiusdem poetae Vidularia, de quibus fabulis infra (p. 26 sq.) referemus.

[3]) cf. id quod Schiller noster cum argumentum dramatis quod ‚die Kinder des Hauses‘ inscripsit excogitaret adnotavit: *Unwahrscheinlichkeiten. 3. Wie ein kleines Mädchen in dem Alter, worin Adelaide bei dem Kinderraub war,*

In nonnullis autem fabulis ἀναγνώρισις posita est in singulari nexu cognationis: in Soph. Chryse Chryses filius Agamemnonis et Chryseidis in insula Sminthо educatus est, Orestes eodem patre et Clytaemestra matre ortus Mycenis adolevit. Qua re cum conveniunt, primo se non cognoscunt[1]). Similiter res se habet in Soph. Thyeste et Ulixe ἀκανθ. et Euryalo et in Eur. Aegeo, quibus in tragoediis patres cum mulieres gravidas factas deseruerint, filios non cognoscunt. Idem videmus in Ter. (i. e. Apollodori) Phorm.: Chremes ex altera uxore Lemni clam habet filiam quam nondum vidit. Etiam in Plauti Epidico Periphani seni clam in alio oppido, Epidauri, filia adolevit, quam cum rapina domo abstracta Athenas venerit, neque pater neque frater Athenis natus cognoscit.

Solum in Terentii Andria filia naufragio in alienas manus incidit. Patruus enim cum ea in Asiam profecturus naufragio in insulam Andrum defertur, ibi mortuus fratris filiam relinquit viro Andrio eiusque filiae Chrysidi. Rarum vero in modum personae separantur in Eur. Iph. Taur., Helena, Hypsipyla. Iphigeniam et Helenam deorum numine in alias terras traductas esse inter omnes constat. Hypsipylam autem quod patrem non interfecit, fugitivam a nautis raptam in servitutem Eurydicae venisse, filios eius cum Iasone patre Colchos navigavisse nunc ex Oxyrh. papyris[2]) discimus.

§ 3. Causa autem cognitionis est aut quod alter alterum quaerit (ut in Pacuvii Atalanta, Plauti Cist., Men., Poen.; Terentii Eun. Phorm.) vel quod alter post multos annos in patriam redit (ut in Aesch. Choeph., Soph. et Eur. Electra, Soph. Aegeo, Peleo, Ulixe ἀκανθ., Tyrone, Eur. Cresphonte, Oeneo, Melanippa Captiva; item in Pacuvii Niptris) aut in casu quodam posita est. Plerumque enim casu quodam accidit, ut cognati antea separati sibi obvii fiant.

§ 4. Rebus autem in quibus ἀναγνώρισις posita est demonstratis contemplemur, quo modo poetae eas res nobiscum commu-

---

eine Kostbarkeit bei sich haben und trotz den Zigeunern behalten konnte, (ed. Bellermann X p. 107).

[1]) cf. W I 210.

[2]) The Oxyrhynchus Papyri edited by B. Grenfell and A. Hunt tom. VI, num. 852, fr. 64; cf. Robert Herm. 44, 377 sq.

nicent. Quas cum ad eam fabulae partem, quam expositionem appellamus, pertineant, initio ipso fabulae exponi volumus. Id saepe ut est e natura argumenti, ita fit, ut primo una ex eis quae postea se cognoscunt personis procedat, quam fortunam habuerit narrans, deinde altera. In Aesch. Choeph. primo Orestem cum Pylade in patriam reversum videmus. Mercurium *χθόνιον* allocutus in sepulcro patris crinem vovet et quamquam oratio eius mutila tradita est, ex reliquiis apparet eum etiam de fortuna suaverba fecisse, quorum sensum v. Wilamowitz in translatione exprimere conatus est. Praeterea autem eam iam comperimus in prima trilogiae tragoedia (Ag. 877 sq.). Etiam adventus eius nobis praedictus est (Ag. 1280, 1646, 1667). Deinde autem in Choeph. cum choro Electra in scaenam prodit et quam vitam apud matrem agat, nobiscum et simul inscia cum fratre communicat. Similiter res se habet in Soph. Electra: primo paedagogum cum Oreste prodeuntem videmus — unde autem veniant, non narratur neque quoniam omnibus res notissima est, opus est — deinde Electram querentem et fratrem desiderantem. Eodem modo res exponuntur in Eur. Iph. Taur.[1]) Primum Iphigenia ipsa longiore soliloquio fortunam suam refert et somnio adducta Orestem mortuum luget. Qua re sacra funebria facere vult, sed cum servae non adsint, infecta re domum redit[2]). Deinde is ipse quem mortuum esse credit apparet, Orestes cum Pylade. Brevi dialogo de natura alienae terrae habito Orestes solus cur et quo consilio in hanc terram venerit, nobis dicit. Paulo artificiosius in Helena Euripidem expositionem instituisse v. Arnim l. l. bene demonstravit: monologo Helenae, illo inter Helenam et Teucrum colloquio, cuius initio Teucer solus pauca verba facit, oratione Menelai[3]). In Eur. Electra autem, qua in condicione Electra sit, comperimus et ex rustici, mariti eius, monologo et ex ipsius soliloquio et ex sermone inter maritum et uxorem habito[4]). Et postquam illi abierunt, Orestes

---

[1]) cf. v. Arnim de prologorum Euripideorum arte Gryph. (diss.) 1882 p. 85 § 7.

[2]) cf. Leo Der Monolog im Drama p. 21, 23.

[3]) De qua oratione cf. Leo l. l. p. 31.

[4]) Qua forma exponendi, duarum personarum monologis, quos sequitur dialogus earundem hac in fabula et in Helena Euripidem usum esse Leo l. l. p. 24 ostendit.

cum Pylade procedit et quid iussu oraculi Delphici facere in animo habeat, dicit. De Orestis priore fortuna iam rusticus nos certiores fecit. Hic igitur initio fabulae una persona de amborum qui postea se cognoscunt fortuna refert. Quod in Electra rusticus facit, id munus suscipit in Ione Mercurius, qui cum in fabula ipsa non prodeat, actioni interest, quod Ionem iussu Apollinis Delphos transportavit[1]). Mercurius igitur, quoniam cum deus sit, omnia scit, nobis narrat, quo modo Ion et Creusa separati sint et quas fortunas ante cognitionem uterque habuerit, ita ut ea quae Ion monologo suo et cum eo chorus mulierum canit, verba dei quasi illustrent atque confirment. Etiam causam *ἀναγνωρίσεως* deus commemorat, iter quod Xuthus et Creusa progeniei causa Delphos fecerunt, et quis exitus fabulae futurus sit.

Hunc modum exponendi novae comoediae poetas ex tragoedia sumpsisse, pro deo autem saepe daemones ut in Menandri Peric. *Ἄγνοιαν* et in Plauti (Menandri) Cist. Auxilium, in Rudente (Diph.) Arcturum et in Casina (Diph.) Fidem[2]) induxisse, denique, id quod adhuc nisi in Latinis comoediis factum non videmus, hanc personam propter munus suum ‚Prologum‘ nominatam esse constat (Plauti Capt. Men. Poen.)[3]). Eiusmodi prologi, sive deus sive Prologus ipse, ut Mercurius in Eur. Jone duas res nobiscum communicant, quomodo cognati separati sint et qui casus vel quod factum causa *ἀναγνωρίσεως* sit: velut in Menaechmis primo narratur, quo modo Menaechmus Tarenti patri raptus dives civis Epidamni factus sit, deinde alterum fratrem pro Sosicle Menaechmum ab avo nominatum Syracusis educatum esse. Postremo causa *ἀναγνωρίσεως* affertur: Sosiclem profectum esse fratrem geminum quaeritatum et hodie Epidamnum venisse. Similiter prologus in omnibus fabulis constructus est. In Cistellaria autem condiciones *ἀναγνωρίσεως* partim post sermonem inter duas meretrices et lenam habitum ab hac narrantur, partim ab Auxilio deo, qui quae lena narrare coepit, uberius peragit. Qua forma exponendi Menandrum etiam in Peric. usum esse recte ex vv. 7 et 38., qui ante *Ἄγνοιαν* iam Glyceram et Polemonem in scaena fuisse indicant, con-

---

1) cf. Leo l. l. p. 23.

2) cf. Skutsch, Rhein. Mus. 55, 272.

3) Cum hac commentationis parte velim conferas Leo Plaut. Forsch. IV.

cluditur. Quales autem primae scaenae fuerint, viri docti dissentiunt[1]). Qua de re certum iudicium vix consequemur. Tertium Menander fabulam sic exposuit in Heroe, ubi Heroem post sermonem inter Getam et Davum habitum res explicuisse Leo docet. Qua re recte sentit (ll. p. 165) eam formam Menandri propriam esse. Quodsi in prologis de fabulae elementis certiores facti sumus, non miramur, quod in fabulis ipsis raro de iis rebus aliquid comperimus et ubi quid comperimus, nunquam omnia narrantur velut Plaut. Capt. 759—61, Poen. 896—904. 987, Rud. 106.

Duae autem fabulae Plautinae, Curculio et Epidicus, ut nobis traditae sunt, a ceteris, quod prologo carent, differunt. Neque tamen in Epidico fabula ipsa ante *ἀναγνωρίσεις* condiciones earum satis apparent. Non satis est ad priorem *ἀναγνώρισιν* exponendam, quod Apoecides v. 169 sq. dicit, neque ad secundam quod ‚filiam hostium potitam' vv. 532, 561 a Philippa comperimus, sed plane de improviso atque subito Epidicus Telestidem cognoscit. Causam nunc demum ex v. 639 sq. intellegimus: Epidicum aliquando Telestidi dona a patre Thebas attulisse, etsi antea id scire nobis necesse fuit cum *ἀναγνωρίσεως* tum huius rei causa: solum si Epidicum Periphanis filiam vidisse antea scivissemus, intellegere potuimus, cur hic illi mentienti fidicinam, quam domi haberet, filiam suam esse crederet. F. Leonem igitur sequi debemus, qui propterea hanc fabulam prologum, qui iter quod Epidicus Thebas fecit narraverit, habuisse, sed eum periisse censet[2]).

Curculio autem fabula ita composita est, ut nihil in actione desideremus. Etiam de condicione Planesii certiores fimus (v. 528 sq.) Hic autem alia causa Leo utitur, ut verisimile esse nobis persuadeat et Curculionem prologum habuisse. Fabula enim si Athenis agitur, id non initio nobis nuntiari solet, sed occasione data id comperimus. Sed alio loco si agitur, fabula prologum habet, in quo ubi res gerantur narratur. Quae regulae cum in omnibus fabulis servatae sint, in Curculione, quamquam non Athenis sed Epidauri fabula agitur, id demum v. 341 quasi in

[1]) cf. v. Wilamowitz Neue Jahrbücher 1908 p. 42/3. Leo Herm. 43, 140 sq. Robert Herm. 44, 284 sq. Schmidt Herm. 44, 403 sq. Koerte Menandrea praef. p. XXXIII.

[2]) cf. Plaut. Forsch. IV, p. 179—181.

transitu comperimus. Inde Leo concludit exemplar Curculionis prologum, qui ubi res gererentur nuntiaret, habuisse certum, Plauti fabulam veri simile esse. Sed haud scio an hoc argumentum solum non tam grave sit quam Leo credit, praesertim cum consideremus in his comoediis, quarum res ex communi vita humana sumptae sunt, plerumque non multum interesse, ubi res agatur. Tum hanc haberemus fabulam in *ἀναγνώρισιν* excurrentem, in qua res prologo explicatae non essent. Quod in Vidularia certe, quamquam prologum habet, fieri ex v. 10 concludendum est. Nam huic prologo narratio argumenti ut omnibus Terentii prologis deest.

Terentium autem argumentum non prologo narrare sed fabula ipsa exponere, quod ut efficiat, saepe ad *πρόσωπον προτατικόν* recurrit (Andr. Phorm. Hec.) vel personam alteri res huic non ignotas narrantem facit (Eun.)[1]), nemo nescit. Sed ad nos id modo pertinet, quod cum cognitione cohaeret. In Eunucho fundamentum *ἀναγνωρίσεως* colloquio fabulae initio iacitur. Thais enim Phaedriae, quae sors Pamphilae fuerit et quid ipsa de ea in animo habeat, narrat. In Phormione Geta Davo, qui est *πρόσωπον προτατικόν*, de Phanio nihil narrat (v. 114 sq.) nisi illam civem esse Atticam bonam bonis prognatam, ut *ἀναγνώρισις*, quia id quod Chremes Lemno reversus Demiphoni narrat — filiam Lemno ad se profectam esse (v. 569 sq.) — ad Phanium pertinere non e vestigiis intellegere possumus, spectatore nihil eiusmodi exspectante fiat. Etiam minus *ἀναγνώρισις* praeparata est in Andria, ubi solum v. 220 sq. Davus in monologo amantes finxisse Glycerium virginem liberam naufragio a cognatis separatam esse nobis dicit, omnino praeparata non est in Heaut. tim., quod contaminatione[2]) quae dicitur factum esse verisimile est. Nihil enim de pristinis hominum fortunis comperimus nisi quod Menedemus Chremeti v. 93 sq. narrat Cliniam filium suum amare filiam anus pauperculae Corinthiae. Cetera omnia et nos demum in *ἀναγνωρίσει* ipsa cognoscimus. Sed tamen nihil nobis videtur deesse, quin etiam si in Phormione plus comperissemus, non tantopere audaciam Phormionis admirari possemus. In Hecyra autem *ἀνα-*

---

[1]) cf. Aem. Polczyk de unitatibus et loci et temporis in nova comoedia observatis. Vrat. (diss.) 1909 p. 20.

[2]) cf. Skutsch, Philol. 59 (1900) 1—8.

γνώρισις quasi a fundamentis ipsis agitur, quod puer, propter quem turbae oriuntur, in fabula ipsa nascitur. Quod in Menandri Epitr. non fit, sed puerum iam ante fabulae initium natum esse edocemur sermonibus ab Onesimo, coquo, Smicrine habitis[1]. Terentius autem cum prologos argumentum narrantes vitavit, artificium, quo ante eum poetae commodissime res exposuerunt, aspernatus est. Nam propterea poetas narrationes illas tantopere adamavisse certum est quod saepe difficillimum erat omnia quae spectatores de rebus antea factis scire debebant, in tempore per personas ipsas cum eis communicare. Quin etiam saepe fieri non potest, ut persona, quae in fabula prodit, rem explanet, cum nemo harum personarum rem perspicere possit, ut in Plauti Captivis. Quis enim sciat Tyndarum, qui in Hegionis servitutem venerit, filium huius Hegionis esse? Sed spectatores ab initio id scire debebant, quo vehementius eorum animi excitarentur[2]. Aeque res se habet in Eur. Ione. Nemo enim mortalium nobiscum communicare potest, quid puer a Creusa expositus passus sit[3]; sed id scire opus est, ut illa scaena, in qua Ion primum cum Creusa congreditur, moveamur. Qua re coactus poeta prologo usus est. Et cum hoc artificium etiamsi non semper necessarium tamen commodissimum esset, ut spectatores celeriter in medias res ducerentur, poetas libenter his prologis, quamquam fabula aliter exponi poterat, usos esse quis existimare dubitat?

§ 5. Sed ubi prologo utuntur, spectatores cognitione subita obstupefacere nolunt, sed eorum animos attendere atque percutere, ut eo magis, quod personas quae sint noverunt, si altera in alteram acriter invehitur, iis timeant[4]. Eiusmodi scaenas Euripides, ut infra demonstrabimus, valde adamavit. Qua cum re cohaeret, quod idem poeta nonnullas fabulas ita composuit, ut cognati primum si congrediuntur se non cognoscant, sed rursus discedant, secundo demum conventu *ἀναγνώρισις* fiat, ut in Ione. Cui (v. 246) cum mater primum obvia fit, uterque fortunam suam

[1]) v. Wilamowitz Neue Jahrbücher 1908 p. 50; Leo Hermes 43, p. 128—130.

[2]) Leo Plaut. Forsch. p. 185.

[3]) v. Arnim de prol. Eur. arte p. 89.

[4]) cf. Lessing, Hamburgische Dramaturgie, 48. Stück.

narrat. Quo longius sermo procedit eo magis excitamur. Ad summam spem ducimur, cum Ion v. 371 dicit: *οἴμοι προσῳδὸς ἡ τύχη τῷ 'μῷ πάθει.* Sed cum in utriusque fortuna aliquid sit, quod ipse scire non potest neque spectatores nisi ex Mercuri narratione compererunt, nescii quis alter sit, discedunt. Eodem modo erigimur exspectatione, ubi Iphigenia Orestem de fortuna sua et de rebus Argolicis interrogat (v. 480). Atque quantopere spectatorum animos motos esse credis, cum Antiopam a filiis praesidium petentem a foribus repelli viderent! Similiter Euripidem rem instituisse nunc videmus in Hypsipyla[1]). Nam filii matri Hypsipylae ignoti ut hospitio recipiantur orantes adveniunt[2]). Quos ubi mater conspexit suorum filiorum ut videtur memor exclamat: *ὦ μακαρία σφῷν ἡ τεκοῦσ' ἥτις ποτ' ἦν* (v. 5). Quas scaenas quibus animos nostros excitare voluit poeta cum bene finxerit, eadem res in Electra ei non contigit. Nam hac in tragoedia Orestes Electrae obvius fit non imperitus cognationis, sed ex Electrae monologo, quem ut clam audiret se receperat, eam feminam sororem suam esse intellegere debuit. Neque tamen se fratrem esse confitetur, sed nuntium se a fratre ferre et ei de sorore referre velle simulat[3]). Multo melius Sophocles in Electra scaenam, qua spectatoris animum vehementer moveret, ante *ἀναγνώρισιν* ipsam posuit, quam poetae artem si intellegere volumus *ἀναγνώρισιν* ipsam opus est considerare.

3.

De scaenis ipsis.

§ 6. Venimus igitur ad *ἀναγνωρίσεις* ipsas. Atque incipiamus ab illis tribus tragoediis, quae argumento inter se cohaerent: Aesch. Choeph., Soph. Electra, Eur. El. In omnibus his tragoediis cum uterque alteri ignotus alterum cognoscat, habemus, ut ita dicam, duplicem *ἀναγνώρισιν.* Rarius accidit, ut solum una persona ab altera agnoscatur, haec illi iam nota sit, quam *ἀναγνώρισιν* simplicem nomino. Quod discrimen iam Aristoteles fecit (c. 11. 1452b 3): *ἐπεὶ δὴ ἡ ἀναγνώρισις τινῶν ἐστιν*

---

1) Oxych. Pap. VI num. 852 fr. 1.

2) cf. Robert Herm. 44, 392.

3) cf. Lindskog, Studien zum antiken Drama, Lund 1897, p. 132.

ἀναγνώρισις αἱ μὲν θατέρου πρὸς τὸν ἕτερον μόνον, ὅταν ᾖ δῆλος ἕτερος τίς ἐστιν, ὁτὲ δὲ ἀμφοτέρους δεῖ ἀναγνωρίσαι, οἷον ἡ μὲν Ἰφιγένεια . . . Duplex autem *ἀναγνώρισις* ut saepe in duas partes divisa est, quarum priore alter alterum inscientem cognoscit, altera parte hic convincitur et ipse quoque rem intellegit, ita etiam in illis tribus tragoediis primum frater sororem cognoscit, deinde minus facile soror fratrem.

In Aeschyli Choephoris enim Orestes ubi primum chorum feminarum videt, Electram inter eas incedere suspicatus (v. 16) se abdit, ut clam rem investiget. Et quae mulier soror sua sit intellegit, cum audiat, quod Electra cum choro mulierum agit. Similiter actio apud Euripidem initio procedit. Orestes cum Electram quam servam esse opinatur exeuntem conspexerit, in occultum abit, ut quid serva velit, exploret. Deinde ut in Choeph. Electram cum choro colloquentem audit. Ex Electrae autem verbis (v. 112 sq. imprimis v. 115—119) eum sororem cognoscere concludendum est. Neque aliter apud Sophoclem primo res actum iri videtur. Orestes enim et paedagogus cum vocem mulieris domi querentis audiant, hic servam clamavisse suspicatur, Orestes autem Electram, qua re sororem exspectare vult (v. 80/1). Sed a paedagogo id facere vetitus ad sacra patri mortuo praebenda abit. Postea autem Orestes cum, ut ei cum paedagogo convenit, se cinerem Orestis mortui apportare simulans Electrae obvius fiat (v. 1097), statim et ex eius querimoniis (maxime ex vv. 1126 sq.) et ex verbis chori Electram alloquentis (v. 1171) hanc mulierem sororem suam esse intellegit, quod eum iam intellexisse ex versibus 1174 sq. cum animi perturbatione dictis apparet. Et quasi rem certam ore eius confirmari velit, sororem interrogat (v. 1171): *ἦ σὸν τὸ κλεινὸν εἶδος Ἠλέκτρας τόδε;* — Quodsi alter altero prius cognovit, quocum congressus sit et ipse alterum se quoque agnoscere vult, facillime atque celerrime id quod vult efficit, si ipse quis sit dicit. Itaque Aeschylus Orestem ipsum alteram cognitionis partem efficientem finxit. Sed antea Electrae animum spe fratris recuperandi affecit. Nam cum ad patris sepulcrum sacrificet, videt in sepulcro cirrum, quem sui similem et fratris esse censet. Inde concludit fratrem patris mortui venerandi causa crinem misisse. Maiore autem spe percutitur, cum vestigia in tumulo conspiciat, quae cum in ipsius pedum formam quadrent

fratris esse sibi persuadet. Quo altero signo confisa fratrem adfuisse intellegit. Ita cum animum habeat exspectatione suspensum, Orestes ex latebris progressus atque eam allocutus se esse Orestem confitetur (v. 219). Sed cum Electra verita, ne decipiatur (v. 220) neve illudatur (v. 222), fratrem salutare dubitet (224), Orestes miratus, quod ea, quae se absente signis confisa sit, se praesentem nolit agnoscere, sororem convincit, cum cirrum ad capillum suum admoveat et vestem suam, quam ipsa fecit et pinxit, monstret. Nunc demum Electra fratrem salutat (v. 235), quem se quadruplici modo amare dicit, atque gaudet occasionem patris ulciscendi et sui liberandi venisse. Haec autem res tota reliqua fabulae parte agitur.

Contra Sophocles in Electra *ἀναγνώρισιν* praecipuam partem esse voluit, id quod ex tota fabulae compositione[1]) apparet: Electra cum queratur, quam in calamitatem venerit, omnem spem melioris vitae in fratris adventu ponit (v. 304), paene autem desperat, quod frater id quod per nuntium promisit non facit (v. 319). Sed tamen in sacris patri faciendis deos orare vult, ut Orestes adveniens sibi auxilium ferat (v. 453 sq.). Et quod nondum desiit sperare fratrem sibi auxilio venturum esse, Clytaemestrae fortiter atque audacter resistit, cum paedagogus venit falsum nuntium afferens Orestem mortuum esse et omnes spes delet, quod vehementer Electra queritur (v. 808 sq.). Atque ita non dubitat de verbis nuntii, ut Chrysothemi sorori narranti Orestem adesse, quod ex crine, quem in tumulo patris devoverit, appareat, non credat. Etiam magis ne credat movetur, cum Orestes cum illo vasculo, in quo cinerem Orestis mortui inesse dicit, prodeat. Iam diximus hunc ex querimoniis Electrae fratrem mortuum deflentis statim sororem cognoscere. Tum contineri vix potest, quin se fratrem esse dicat. Tantopere enim misericordia sororis a Clytaemestra et Aegistho vexatae et a se deceptae movetur (1179, 81, 83), ut Electra miretur peregrinum se tam vehementer miserari. Sed poetae placuit, ut spectatorum animos longius exspectatione suspensos teneret, Orestem nondum cognitum ex Electra

[1]) cf. G. Kaibel Electra Leipzig 1896, qui quamquam nonulla reprehendit, compositionem fabulae laudat. Contra Th. Plüss (J. J. 155 p. 721 sq.) eis rebus quas Kaibel vituperavit nisus tragoediam male compositam esse contendit.

quae mala passa sit quaerentem facere. Transit ad *ἀναγνώρισιν*, cum interrogat (v. 1197): *οὐδ' οὑπαρήξων οὐδ' ὁ κωλύσων πάρα;* Deinde vas illud e manibus emittere Electram iubet quod Orestis cinis non insit. Ac tum denique cum perterrita Electra quaerit, ubi Orestis sepulcrum sit, Orestes eam timore liberat et certiorem facit eum vivere. Nunc una cum Electra, quae interrogat (v. 1220) *πῶς εἶπας, ὦ παῖ;* ad summam exspectationem adducti sumus. Quae celeriter cognitione clarissimis sex hemistichiis solvitur, cum Orestes se esse fratrem confiteatur atque anulo patris monstrato confirmet. Neque Electra ut in Choeph. dubitat Orestis verbis credere sed statim fratrem agnoscit et salutat. Primo autem subita rerum commutatione quod fratrem, quem mortuum esse modo credidit, invenit, quasi oppressa est, ut brevibus solum exclamationibus laetitiam exprimere possit. Qua re rursus hemistichiis loquitur. Deinde cum chorum rebus secundis interesse iusserit, tam multa et alacria verba laetantis, quod ab Aeschyli brevitate plane differt, effundit ut vix ab Oreste et paedagogo coerceatur [1]).

Vidimus igitur Aeschylum summam vim in caede perpetranda ponere, *ἀναγνώρισιν* autem ita efficere, ut Electra non ut credula mulier Oresti statim fidem habeat, sed cauta ab Oreste se retineat, dum eum vere fratrem esse intellexerit; Sophoclem autem totam actionem in *ἀναγνώρισιν* referre, animos spectatorum vehementer excitare, *ἀναγνώρισιν* ipsam autem celeriter atque simpliciter instituere. Quare apud Aeschylum *ἀναγνώρισις* est initio fabulae, apud Sophoclem sub finem. Euripides autem sua Electra utrumque poetam superare voluisse mihi videtur, sed ita ut magis adversus Sophoclem qui Orestem impune matrem interficientem contra pudorem atque pietatem finxisse ei videbatur, tragoediam suam scriberet [2]). *'Αναγνώρισιν* quidem si considerabimus, Aeschyli artem eum perstrinxisse videbimus. Primam autem occasionem sorori quam cognovit quis esset eloquendi Orestem nescio qua re praetermisisse supra (p. 13.) commemoravimus. Quod vitium iam Schlegel [3]) recte reprehendit, cum dicit: „*Warum neckt z. B. Orestes seine Schwester so lange, ohne sich ihr erkennen zu geben?*“ Deinde

---

[1]) cf. G. Kaibel Electra p. 259.

[2]) Sequor H. Steigeri (Phil. 1897 p. 561) sententiam, cui v. Wilamowitz priore iudicio (Herm. 18) mutato assensus est (Herm. 34, 57 adn. 2).

[3]) Vorlesungen über dramatische Kunst, 9. Vorles.

Electra postquam ei dixit, quid fratri nuntiaret, fratrem inscia domi suae recipit. Neque tamen Orestes rem aperit, sed nihil nisi se ut Orestes adveniat optare dicit (v. 395). Quin etiam, quod valde miramur, ipse omnino cognitionem non efficit, sed paedagogus, qui non ut apud Sophoclem cum Oreste patria exiit, sed domi mansit. Is cum pecus et vinum apportans domum Electrae venerit, primum narrat se cum tumulum Agamemnonis praeteriret et ovem sacrificatum et crinem decisum vidisse, quem Orestis esse necesse sit. Sed Electra paedagogum notis argumentis refutans et hoc signum et alterum, vestigium *ἀρβύλης*, contemnit. Nemo nescit Euripidem Electrae verbis Aeschylum vituperare voluisse. Etiam cum de vestigio *ἀρβύλης*, quod *ἐν κραταίλεῳ πέδῳ* esse non possit, dicit, in deterius vertit, quod Aeschylus de imagine pedum nudorum in terrestri tumulo expressa protulerat. Aeschyli igitur *γνωρίσματα* cum contempserit, novam *ἀναγνώρισιν* invenit per paedagogum. Qui ubi eos, quos Orestis amicos esse existimat, videt, Orestem intueri non desinit, ut iam hic miretur, cur ita inspiciatur. Et Electra eum in insaniam incidisse iam arbitratur, cum hunc virum Orestem esse senex declarat et Electrae *χαρακτῆρα* videre cupienti, quo nisa rem inopinatam possit credere (v. 570, 572), cicatricem, quam vulnus in venatione acceptum ad oculum reliquit, monstrat. Nunc sibi persuadet fratrem esse inventum (v. 575, 577-8). Igitur cum omnes exspectent Orestem ipsum *ἀναγνώρισιν* effecturum esse, Euripides paedagogum induxit. Paedagogo autem usus est, quod is Orestem cum educaverit, optime novisse debet, signo cicatrice, quia cum in corpore semper maneat certissimum est. Quodsi Electra homini certo certoque signo statim credit, non est mulier nimis credula, quod Lindskog[1]) ei crimini dat. Fratrem autem cognitum muta intueri videtur (post v. 575). Nam paedagogus eam hortatur, ut fratrem amplectatur (v. 576). Quod non facit, sed frigidis vocibus quam insperatum fratrem recuperaverit clamat, quae voces ab Oreste excipiuntur, ut, si formam consideramus, salutatio Sophocli similis sit, cum item sex hemistichiis fiat atque etiam verba nonnulla consentiant (Eur. v. 581, Soph. 1221). Re vera autem, si quo animi affectu fiat respicimus, Sophocli est dissimillima[2]).

---

[1]) Stud. z. ant. Drama p. 128.

[2]) Kaibel Electra p. 216.

Sed Euripidemne secuti etiam nos Aeschyli *γνωρίσματα,* quae tum omnibus notissima fuisse ex Aristophanis Nubibus v. 534 sq. elucet[1]), contemnemus? Unum manifestum esse mihi videtur: si credendum est haec vera *γνωρίσματα* esse quibus Electra confidit, Euripidem recte vituperavisse. Nam quamquam v. Wilamowitz in editione Choephoron (Die Orestie II, p. 169 sq.) censuit Electram vere ex vestigiis fratrem cognoscere potuisse, cum apud veteres pedes, qui nondum ut apud nos calceis mutilati sint, in variam formam creverint, ut ex eorum vestigiis conspicere possent, cuius hominis essent, et quamquam addere licet veterum sensus has res melius distinguere potuisse quam nos, quorum sensus ad eas res hebetiores facti sunt, tamen ut opinor ea hic probare nihil possunt. Talia enim signa adhiberi non possunt nisi in noto homine cognoscendo; velut Hecuba (Eur. Troad. 1167, 1185) quae brachia Astyanactis patri similia esse cognoscit et imaginem manus Hectoris in manubrio scuti expressae animadvertit, eas res animadvertere non potuit, nisi Hectorem filium penitus cognovisset. Itaque etiam Electram, unde crinis et vestigia sint, intellegere potuisse arbitror, si iam fratrem cognovisset. Puer autem cum ab ea separatus sit, id intellegere non potuit. Sed Aeschylus in his rebus cognitionem suam non posuit. Cirrum cum viderit Electra statim commota de Oreste cogitat, quod scit neminem eum mittere potuisse, nisi cognatum Agamemnoni fidum: Orestem. Qua ratiocinatione mota sui similia esse cirrum et vestigium credit[2]). Neque tamen certo confidit eis signis, sed summa spe afficitur atque percutitur, praesertim cum neminem magis quam fratrem desideret (v. 194. 211). Qua re non recte Euripides haec signa reprehendisse mihi videtur. Vestis autem ab ea ipsa facta signum est, cui confidit. Eam vestem monstrare Orestem qua indutus est v. Wilamowitz docet. Unde is qui peregre vixit eam habuerit, poetae cum nihil intersit, non dicit neque nobis si carmine eius frui volumus quaerendum est. Euripides autem quod etiam hanc rem investigavit (v. 540 sq.) et omnino de signis cum Aeschylo certavit, nobis, si nostrum hominum recentioris aetatis sensum respicimus, placere non potest, cf. Schlegel l. l.: *Allein die aus-*

---

[1]) cf. v. **Wilamowitz**, Hermes 18, p. 224 adn. 1.

[2]) v. **Wilamowitz**, Orestie II, p. 170/1.

drückliche Rücksicht auf andere Behandlung desselben Gegenstandes ist das Störendste, echter Poesie Fremdeste, was es geben kann. Sed Euripides hac in tragoedia eum morem secutus est, qui est apud Alexandrinos poetas notissimus, quo more poetae in carminibus de recta vel meliore forma mythi certabant. Hic autem mos poetarum Graecorum est antiquissimus. Cuius exemplum iam exstat apud Pindarum (Ol. 1) Stesichorumque (in Helena)[1].

§ 7. Melius autem quam in Electra illa bipartita *ἀναγνωρίσεως* forma Euripides usus est in Ione, ubi inter Creusam et Ionem *ἀναγνώρισις* fit. Quodsi antea Xuthus oraculo Apollinis iussus Ionem, quippe qui primus ei ex templo egredienti obvius factus sit, filium suum esse credit Ionique persuadet, haec vera *ἀναγνώρισις* non est. Vera autem *ἀναγνώρισις* inter Creusam et Ionem ut efficiatur, Pythia Ioni iussu Apollinis, qui nunc in tempore filio suo consulit, cistam, in qua expositus erat, tradit, ut quaerat matrem. Quam cistam Creusa, quae ut ab Ionis impetu tuta esset ad aram confugit, ubi conspexit, insperatam fortunam mirata (v. 1398) filium cognoscit et ara relicta complectitur. Sed Ion eam mulierem, quae eum modo interfectura erat, matrem suam esse non potest credere. Qua re Creusam enarrare iubet, quae et quales res in cista sint. Deinde postquam Creusa omnia — insunt autem *ὕφασμα,* in quo Gorgo picta erat, *δράκοντες, δέραια, στέφανος ἐλαίας* — recte enumeravit atque descripsit, Ion, qui se matrem invenisse sibi persuasit, maximo cum gaudio eam salutat (v. 1440) eodemque modo ab ea salutatur. Utrique enim de improviso accidit, ut ex inimicissimis amicissimi et cognatissimi facti sint (v. 1448. 1452/3).

In Ione igitur cognatus alterum eo ipso momento cognoscit, quo eum inscius interfecturus est. Quae res cum optime in tragoedias quadret, saepe in eis invenitur, et ab Aristotele 14. 1454 a 4 laudatur: *κράτιστον δὲ τὸ τελευταῖον, λέγω δὲ οἷον ἐν τῷ Κρεσφόντῃ ἡ Μερόπη μέλλει τὸν υἱὸν ἀποκτείνειν, ἀποκτείνει δὲ οὒ ἀλλ' ἀνεγνώρισεν, καὶ ἐν τῇ Ἰφιγενείᾳ ἡ ἀδελφὴ τὸν ἀδελφόν, καὶ ἐν τῇ Ἕλλῃ ὁ υἱὸς τὴν μητέρα ἐκδιδόναι μέλλων*

[1]) cf. Seeliger, die Überlieferung der griech. Heldensage bei Stesichorus, Meißen 1886, p. 8. 13. Alia exempla Euripidea praebet Wecklein, Sitz.-Ber. d. k. b. Ak. d. Wiss. München, phil.-hist. Kl. 1878 II, p. 205.

ἀνεγνώρισεν. In Eur. Cresph.[1]) enim Meropa mater filium dormientem iam securi petit, cum a paedagogo, qui filium eum esse demonstrat, impeditur[2]). Quantopere autem hac re spectatorum animi percussi sint, Plut. Mor. p. 998 E una cum Meropae verbis in summo discrimine dictis (fr. 456 Nauck) tradit. Cum Iphigenia Euripidis omnibus sit notissima, Helle tragoedia quae esset nemo dum intellexit. Similem autem rem fuisse putandum est atque in Soph. Chryse quam fabulam Pacuvium transtulisse verisimile est: Chryses sacerdos Thoanti regi postulanti Orestem et Iphigeniam interficiendos traditurus a matre, quae Orestem fratrem esse aperit, id facere prohibetur[3]). Sed plura huius in summo discrimine *ἀναγναρίσεως* exempla afferre licet. In Eur. Aegeo Aegeus Theseum filium Medea auctore veneno interfecisset, nisi in tempore filium eum esse ex gladio, quem Aethra puero sato tradiderat[4]), intellexisset (W 729). Simile argumentum Hyginus fab. 88 tradit, quo Sophoclem in Thyeste et Accium in Pelopidis usos esse Welcker (W 369) credit, nisi quod hic filius (Aegisthus) patrem (Thyestem) interfecturus est. Et in Soph. Alete, quam fabulam Accium in Agamemnonidis transtulisse Ribbeck[4]) arbitratur, Electra inscia Iphigeniae sorori oculos eruere voluit, sed Orestes intervenit[5]). Nec non in Soph. Mysis, si

---

[1]) Intus haec acta esse Alb. Mueller (Berl. phil. Wochenschrift 1900, n. 6 p. 187) credit. Ego quidem Wecklinio assentior, qui omnia in scaena acta esse censet.

[2]) Quam fabulam Ennium expressisse Ribbeck (R. 186) negavit, Wecklein (Festschrift für L. Urlichs, Würzburg 1880, p. 3. 4) probabilibus argumentis demonstravit, quem sequitur Vahlen (ind. lect. Berol. 1888/9, p. 17 sq. = op. Ac. I, p. 417, Lips. 1907).

[3]) W 210, R 252, Hyg. fab. 121. v. Wilamowitz, Hermes 18, 257 sq. Pacuvii tragoediam a Sophoclea separat, cum certamen illud, quo alter pro altero mortem subire vult, ad Eur. Iph. Taur. spectet, in qua fabula Pylades primum maiores partes agat. Pacuvium recentiorem tragoediam imitatum esse. Sed quid obstat, ne credamus iam Sophoclem Eur. Iphigeniam Taur. secutum Pyladi maiores partes tribuisse?

[4]) Alterum *γνώρισμα* calces Euripides videtur neglexisse, cf. M. Mayer de Eur. mythopoiia Berol. (diss.) 1883, p. 60 sq. Et gladium et calces signa adhibuit Callimachus in eo carmine quod Hecale inscribitur, cf. Call. ed. Schneider II, p. 178/9.

[5]) W 215, R 469, Hyg. fab. 122. Idem sentit Furtwängler (apud Roscherum, Lexikon d. griech. u. röm. Mythol. I, 238); contra Bethe (apud Pauly-Wissowa RE I 2314) Hygini fabula argumentum Aletis Sophocleae narrari negat.

Welcker (W 414) id quod Hyg. fab. 100 narrat, ex ea tragoedia expressum fuisse recte censuit[1]), Auga mater Telephum filium, qui eius matrimonium, quod a Teuthrante rege ei promissum erat, expetebat, inscia paene interfecit. Denique in Alexandro, quam tragoediam et Sophocles et Euripides composuerunt, fratres Alexandrum, quem pastorem esse arbitrantur, invidia commoti gladio petunt, ut hic in aram Iovis Hercei fugere cogatur. Tum Cassandra, cum quis sit aperiat, eum servat (W 462). In Ennii tragoedia, quam Euripidem secutus de eadem re fecit[2]), veri simile est vel pastorem qui Paridem educavit vel eum ipsum rem explicuisse signisque confirmavisse, cf. Serv. Aen. V 370: ,qui (Hector) cum iratus in eum stringeret gladium, dixit (Paris) se esse germanum eius et allatis crepundiis probavit' (R 81). Etiam in Pacuvii Medo, cuius exemplar ignotum est, *ἀναγνώρισις* simili condicione fit. Medea Medum filium, cum eum esse Hippotheum Creontis filium credere debuerit, paene interficit, sed in tempore cognoscit. (R 318).

Quibus in tragoediis cum *ἀναγνώρισις* fiat in tempore, aliis in fabulis res sero perspicitur, postquam parricidium factum est. Quem rerum cursum Aristoteles ante locum quem supra exscripsi, quamquam illum rerum nexum optimum iudicat, laudat atque in secundo loco ponit: *ἔστιν δὲ πρᾶξαι μέν, ἀγνοοῦντας δὲ πρᾶξαι τὸ δεινόν, εἶθ' ὕστερον ἀναγνωρίσαι τὴν φιλίαν* (14. 1453 b 29), *βέλτιον δὲ τὸ ἀγνοοῦντα μὲν πρᾶξαι, πράξαντα δὲ ἀναγνωρίσαι· τό τε γὰρ μιαρὸν οὐ πρόσεστιν καὶ ἡ ἀναγνώρισις ἐκπληκτικόν* (14. 1454 a 2—4). Priore loco exempla affert: Oedipum Sophocleum, qui extra tragoediam ipsam Laium patrem inscius necat et Astydamantis Alcmaeonem, quem matrem Eriphylam non ut apud Sophoclem iussu patris sed inscium interficere ex hoc loco concludendum est (W 1056), et Telegonum, qui in Soph. Ulixe *ἀκανθ.*, quam fabulam Pacuvius in Niptris imitatus est, postquam patrem, quem iussu matris quaerit, pestifero vulnere affecit, maximo cum maerore intellegit, quem necaverit[3]). Ut hic Ulixem

---

[1]) quod **Ribbeck** negavit (R 311).

[2]) cf. **Skutsch** Ennius (apud P. W. R. E. V 2593).

[3]) W I 240, R 270, Dictys 6, 15; cf. R 278 adn. 16. Similes mythos variarum gentium collegit Uhland, Schriften zur Geschichte von Sage und Dichtung I, 164 sq. Clarissimum est illud Germanorum carmen, quo Hildebrand cum filio Hadubrandio congreditur.

patrem filius nescius interficit, ita in eiusdem poetae Euryalo Ulixes inscius interimit filium Euryalum, quem ex Euippa genuit, cum ex Epiro in Ithacam ut patrem quaereret venerit[1]). Similia aguntur in Eur. Plisthene, si hanc fabulam Euripidi quamquam v. Wilamowitz[2]) abrogavit tribuere licet: Atreus pater filium Plisthenem quem non cognovit trucidat (W 689); idem in Iliona Pacuvii, cuius exemplar Graecum non notum est, Polymestor facit, qui ratus Priami filium se necare suum necat (W 1150, R 232). Etiam in Eur. Inone dolo Inonis decepta Themisto suos pro Inonis liberos vita privat (W 615).

§ 8. Sed ab his fabulis, quarum argumentum solum novimus, ad integras redeamus. Eur. Iphigenia quoque ab Aristotele propter illum optimum rerum nexum laudata est. Compositio autem *ἀναγνωρίσεως* eadem est atque in Ione. Primum enim Orestes Iphigeniam cum narret, quid in tabellis, quas Pylades Argos ferre iussus est, scriptum sit, sororem suam esse comperit. Quantopere miretur, quod subito sororem invenit, ex iis verbis apparet, quae cum Iphigeniam narrantem audiat, secum dicit (v. 760, 765). Neque Pylades mirantis vocem retinere potest (v. 768). Sed cum Orestes tabellis a Pylade acceptis sororem dulcissimis verbis allocutus amplectatur, Iphigenia valde dubitat, num hic vir frater sit. Neque prius dubitare desinit quam Orestes ei *τεκμήριον* poscenti (v. 796) nuntiavit, quod Electra ei domi de sorore narravit atque Pelopis hastam se vidisse addidit. Tum et ipsa fratrem cum lacrimis et laetitia salutat[3]). De arte autem huius *ἀναγνωρίσεως* Aristoteles in arte poetica iudicium protulit quo de iudicio cf. § 22.

---

[1]) **Parthenius Erot. c. 3, Nauck p. 141.**

[2]) **Hermes 40, p. 131.**

[3]) Longe aliter Goethium nostrum *ἀναγνώρισιν* inter Iphigeniam et Orestem composuisse nemo nescit. Orestes ipse quis sit cum sacerdote Dianae communicat, quae quin verum ille dicat non dubitat. Sed quamquam et ipsa fratri Iphigeniam sororem se esse confitetur, frater furiis exagitatus primo eam non cognoscit, sed se amplecti cupientem repellit. Deinde de omnibus rebus desperans sororem se immolare iubet, ut scelera a deis Tantali genti imposita perficiantur. Cum summo igitur terrore summaque tristitia *ἀναγνώρισις* fit. Signa autem in *ἀναγνωρίσει* ipsa non adhibita sunt, afferuntur demum ab Iphigenia, ut Thoanti Orestem re vera fratrem suum esse persuadeat: tres stellae in lacerto dextro et cicatrix in supercilio, quae signa ex antiquis litteris a Goethio sumpta esse nemo negabit. Cuius dis-

Cum Iphigenia multis in rebus Helena consentit[1]); ἀναγνώρισις autem non similis est, quamquam rursus in duas partes divisa est. Helena enim ubi Menelaum vidit, mox praesertim cum iam propter Theonoae oraculum summa spe mariti recuperandi affecta sit (v. 539 sq.) eum cognoscit (v. 565), qui se esse Menelaum confitetur (v. 566) atque laetatur (v. 567). Sed Menelaus ut Teucer antea Helenam nullam aliam esse nisi mulierem uxori suae simillimam esse arbitratus non prius uxori, quae rem patefacere studet, credit quam per nuntium comperit illam Helenam quam Troia secum abduxit evanuisse (v. 606).

Item duas ἀναγνωρίσεως partes videmus in Pacuvii Atalanta (R. 310), in qua tragoedia Romana sola quomodo ἀναγνώρισις fiat, ex fragmentis aliquatenus concludi potest. Atalanta enim cum duos iuvenes Parthenopaeum et Telephum videat, opinata alterum filium suum esse primo dubitat, quam viam insistat ad stirpem exquirendam (fr. VI), tum signi ei in mentem venit et Parthenopaeum cognoscit, qui suspensum in laevo bracchio ostendit ungulum (fr. XV). Deinde filio rem veram esse persuadet, cum de patre eiusque fortuna narret (fr. XVI. XXIV. XVIII), qualia Orestem narrare modo vidimus.

§ 9. Etiam in comoediis ἀναγνωρίσεις huius bipartitae formae sunt. In Plauti Poenulo Hanno primo se filias invenisse comperit ex nutrice Giddenine, a qua statim cum gaudio salutatur et quam ipse ilico cognoscit (v. 1120 sq.). Deinde cum filias ipsas conveniat, eis aperit se patrem esse (v. 1256). Sed etsi Agorastocles rem ita esse affirmat, tamen sororibus res non satis certa est: *Vix hoc videmur credere* (v. 1264) Tum demum postquam Hanno se earum nutricem cognovisse eas docuit, eius verbis fidem habent.

Eandem formam bipartitam videmus in Captivis. Etiam hac in fabula primo Tyndaro absente Hegio per Stalagmum et Philocratem certior fit Tyndarum filium suum esse. Deinde is cum ex latomiis arcessitus[2]) prodeat et a patre salutetur (v. 1006)

---

crepantiae causa in ea differentia posita est, quae omnino inter Euripidis et Goethii tragoedias intercedit (cf. Bruhn, Iph. Taur., Berlin 1894, p. 6 sq.)

[1]) Bruhn, Iph. Taur. p. 11 sq.

[2]) Hoc intervallum loci poeta neglexit, cf. Polczyk l. l. p. 33.

stupet respondens: *Hem quid ,gnate mi'?* Quin etiam se illudi putat. Denique Philocrati credit et reminiscitur ,quasi per nebulas: Hegionem meum patrem vocarier' (v. 1024).

Simili modo altera persona primum dubitat in Menaechmis. Menaechmus II et Messenio servus eius mirati conspiciunt Menaechmum I fratri simillimum. Qui quamquam quod nomen et quae patria sibi sit dicit, primo neque Menaechmo II neque Messenioni in mentem venit illum hominem fratrem quem quaerunt esse. Denique Messenio Menaechmum II fratrem eri sui esse suspicatur et longam quaestionem incipit, qua efficit, ut erus suus fratrem cognoscat atque salutet (v. 1124). Sed Menaechmus I hanc salutem non prius reddit, quam quaestionibus suis: *Quo modo igitur post Menaechmo nomen est factum tibi?* (v. 1126) et *Quid erat nomen nostrae matri?* (v. 1131) recte a Menaechmo sive Sosicle responsum est. Non iniuria Langen[1]) hanc *ἀναγνώρισιν* reprehendit, quod omnes imprimis Messenio et Menaechmus II lentius rem perspiciunt.

Melius *ἀναγνώρισις* composita est in Curculione. Planesium ut Curculionem fugientem, quem sui patris anulum in digito habere vidit, retineat domo proruit. Curculio militi cuidam se anulum rapuisse dicit, cum is miles forte fortuna apparet. Statim in Curculionem vehementer invehitur. Aegre placatus Phaedromo interroganti unde anulum illum habeat a patre suo mortuo se accepisse respondet. Qua re audita Planesium fratrem se invenisse gaudet. Sed non miramur, quod Therapontigonus miles, *Qui ego*, inquit, *istuc credam? cedo*, *Si vera memoras, quae fuit mater tua?* (v.641 sq.) *Nutrix quae fuit?* (v. 643). Quibus nominibus auditis, praesertim cum anulum a Planesio servatum, quem ei natali die miserat, viderit, vere sororem suam Planesium esse intellegit atque gaudet. Omnia optime composita esse existimo; nam non recte Langen (l. l. 137) casum illum, quo fit ut Therapontigonus in tempore adveniat, vituperavit.

---

[1]) Langen Plautinische Studien, Berlin 1886 p. 157/8, qui praeterea miratur, quod hac in fabula et in Poenulo (p. 198) ei qui in aliena terra bonam vitae condicionem adepti sunt, Menaechmus I et Agorastocles, cognatos in patria relictos non quaerunt. Sed cum omnino in fabulis tum in cognitionibus saepius veri species neglegitur; cf. p. 6 cum adn. 3.

§ 10. Alia forma ἀναγνωρίσεως haec est: res paulatim ad eum finem perducitur, ut uterque quis alter sit intellegat. Cuius formae in tragoediis exstat egregium exemplum in Soph. Oedipode Rege, cuius fabulae actionem Schiller noster *tragische Analysis* appellat: *Alles ist schon da, und es wird nur herausgewickelt*[1]). Nodus iam ante fabulae initium nexus est: Oedipus Laio interfecto iam Iocastam in matrimonium duxit et Thebis regnat. Fabulae actione solvitur: Oedipus, cum quis Laium necaverit investigat, magis magisque quis ipse sit comperit. Postquam Tiresias obscuris verbis calamitatem regi praedixit, Oedipus primum ex Iocastae narratione suspicatur se Laium interfecisse, sed ab uxore sedatur, deinde et Oedipus et Iocasta per nuntium Corinthium adducuntur, ut per breve tempus se calamitatem effugisse credant, postremo autem hac spe deiciuntur, cum nuntius Corinthius de Oedipodis genere verba faciat. Cum vero nuntius narret se eum puerum a Lai servo accepisse et chorus existimet hunc servum eundem esse quem Oedipus arcessiverit, Iocasta rem perspicit. Maerore atque timore affecta, cum maritum ne exactius rem inquirat orat, eum et se servare conatur, deinde quod frustra se oravisse videt, de salute desperat et moritura abit. Oedipus autem ferox servum illum exspectat. Ex quo ubi omnia exquisivit, et ipse calamitatem suam cognoscit. Ita igitur actio procedit, ut postremo uterque cognationem intellegat, Iocasta autem paulo prius. Item in Senecae Oedipode ἀναγνώρισις per duos illos pastores qui puerum servaverunt efficitur, quod etiam in Euripidis tragoedia factum esse verisimillimum est. Apud omnes poetas nuntius Corinthius admonet de cicatricibus pedum et talorum (Soph. v. 1032/4, Seneca v. 833/4). Neqne Euripidem aliter fecisse ex Hygini narratione (fab. 67) elucet[2]).

[1]) cf. Schilleri epistulam die II. mensis Octobris 1797 ad Goethium missam. Schiller autem Oedipi ‚analysin‘ imitari voluit in dramatis ‚Die Polizei‘ et ‚Die Kinder des Hauses‘ cf. Bellermanni editionem X p. 74 cum adn. 4 et p. 93 sq. In dramate ‚Die Kinder des Hauses‘ Narbonne cum quis ornamentum quoddam sibi abstulerit exquirit, liberos fratris sui quos patre interfecto hereditate privavit cognoscit.

[2]) Oedipodi similes fabulas, quae apud alias gentes imprimis Serbicam Bulgaricam Russicam exstant, contulit Höfer in Roscheri ‚Lexikon der griech. u. röm. Mythologie‘ III_1 743—746.

§ 11. Eandem ἀναγνωρίσεως formam saepe in comoediis invenimus, pulcherrime ut opinor in Plauti (i. e. Diphili) Rudente. Gripus piscator ex mari vidulum traxit et inventa praeda gaudet. Trachalio autem illum vidulum sibi tradere eum iubet, cum cuius sit noverit. Sed cum res inter eos non conveniat, ut in Menandri Epitr. res ad arbitrum defertur Daemonem. Apud hunc iudicem Palaestra ut cistellam cum eis rebus quae insunt suam esse demonstret, priusquam eas res vidit, enumerat et describit. Inde Daemones eam filiam suam esse intellegit. Diphilus igitur ut Euripides in Alopa iudicium cum cognitione coniunxit (cf. p. 6) Ratio autem cognoscendi eadem est quam in Eur. Ione observavimus[1]). Sed apud Euripidem altera tantum pars ἀναγνωρίσεως hoc modo efficitur, apud Diphilum tota ἀναγνώρισις. Quo longius enim Palaestra in describendo procedit, eo magis Daemoni persuadetur filiam eam esse, dum postremo nihil dubii restat. Cum in ensiculo nomen paternum Daemonem inscriptum esse audiat, hanc suam filiam esse sperare incipit: *Di immortales, ubi loci sunt spes meae?* (v. 1161)[2]) Quod ut credat etiam magis movetur nomine matris Daedalis in securicula inscripto: *Filiam meam esse hanc oportet* (v. 1165). Denique cum Palaestra etiam reliquas res quae in cistula insunt, in his bullam auream a patre natali die acceptam, recte enumeraverit, Daemones credit se filiam invenisse: *East profecto* (v. 1172).

---

[1]) cf. Leo Plaut. Forsch. p. 143. In tota autem fabulae compositione Diphilum secutum esse Euripidem idem vir doctus ostendit p. 144-5.

[2]) Mirum esse Langen l. l. p. 212 censet, quod Daemones exspectat, dum Palaestra patris nomen dixerit et nomine suo audito nihil facit nisi sperat. Concedo Daemonem ex hoc uno signo totam rem perspicere potuisse. Neque tamen poeta offendisse mihi videtur, quod Daemonem, ut erat propositum, quaestionem conficientem atque, cum etiam alia signa in cistula inesse sciat, intellegere cupientem finxit, num etiam reliquis signis idem confirmetur. Et summa arte poetam rem ita instituisse puto, ut Daemones signis enumeratis paulatim magis magisque convinceretur. Sed recte Langen poetam reprehendit, quod mulieres, ubi Trachalio Gripum vidulum, qui earum ipsarum γνωρίσματα continet, monstrare iubet, mutas in scaena adstantes fecit. Id autem Langenio concedere non possum Palaestram de vidulo a Daemone interrogatam neglegentius se gerere quippe quae nihil dicat nisi *is est*'. Nam considerandum est, quo animi motu ea verba fecerit, quod exprimere actoris erat. Eam autem nequaquam rem suam non curare vides ex v. 1132 sq., ubi sagaciter proponit, quo modo vidulum esse suum omnibus persuadere possit.

Et Palaestra cum non habeat, quod quin Daemonis verba v. 1174: *Ego sum Daemones* e. q. s. vera sint dubitet, statim patrem salutat.

Similis res videtur fuisse in eiusdem poetae Vidularia[1]). Etiam hac in fabula lis est de vidulo inter eum qui vidulum e mari traxit, Cacistum, et eum qui ablaturo supervenit et auferre prohibet, Aspasium, quod nomen Leo supplevit. Vidulus Gorgini servandus traditur. Cacisto sibi patronum quaerenti obvii fiunt Dinia et Nicodemus colloquentes. Dinia Nicodemum quem in priore scaena operarium rus conduxit (v. 18 sq.), ab opere abire iussit, quod eum miserebat adulescentis, qui ei miserias suas narravit. Cacisti verbis secreto dictis (v. 72 sq.) comperimus Nicodemum naufragio in hoc litus delatum esse. Dinia autem Nicodemi fortuna commotus sui filii deperditi reminiscitur. Qua ex scaena apparere Leo recte arbitratur Cacistum alterum eorum, opinor Diniam, patronum sibi advocare patronoque totam rem narrare, Nicodemum autem apud Gorginem iudicem vidulum agnoscere et a patre agnosci, ad quam scaenam fr. X pertinet. Postea rem peractam personae, quae in ipsa causa non praesens fuerit — scil. a Dinia uxori —, narratam esse Leo (p. 15) ex fr. XI concludit. Praeterea Soterinem filiam Gorginis ut Leoni videtur cognosci solo fr. XII edocemur.

§ 12. Etiam in Menandri Periceiromena res paulatim signis et quaerendo ad eum finem perducitur, ut nemini quicquam dubium esse possit. Nam postquam illa duo folia, quae nunc Lipsiae servantur, inventa atque a Koertio edita sunt[2]), *ἀναγνώρισιν* inter Glycerium et Pataecum Moschionemque fieri videmus. De singulis autem rebus inter viros doctos adhuc magna dissensio est. Post Koertium huic scaenae explicandae operam dederunt, C. Robert[3]), v. Arnim[4]), K. F. W. Schmidt[5]), S. Sudhaus[6]),

[1]) cf. Studemund, Zwei Parallelkomödien des Diphilus (Verhandl. d. 36. Phil.-Vers. in Karlsruhe 1882 p. 33 sq.); Leo De Plauti Vidularia, ind. schol. Gotting 1894/5.

[2]) Berichte d. phil.-hist. Kl. der Kgl. sächs. Ges. d. Wiss. LX p. 145 sq. Menandrea 1910 v. 338—397.

[3]) Hermes 44, 260 sq.

[4]) Zeitschr. f. österr. Gymn. 1909 p. 1—14.

[5]) Hermes 44, 403 sq.

[6]) Rh. M. LXIII p. 283, Rh. M. LXIV p. 412.

quorum doctorum virorum sententias ita tantum afferam, ut quomodo *ἀναγνώρισιν* fieri mihi verisimile sit intellegas. Initium autem Glycerae *ἀναγνωρίσεως* in Kairensi papyro $K_1{}^r$ traditum est, ubi Pataecus a Glycera ut *τὴν κιστίδα τὴν τὰ ποικίλα ἔχουσαν ἱματίδια* (v. 333/4) apportet postulat. Qua re commotus se filiam reperire posse speret, quam propter spem Glycerium cistulam apportare iubet, ex fabulae reliquiis non clare intellego. Quodsi v. Arnim (p. 11) et Schmidt (p. 430/1) censent Pataecum ut id faceret motum esse, cum Polemonis domi pulcherrima vestimenta Glycerae inspiceret, nescio quomodo id cogitari possit, nam *γνωρίσματα* non iam sunt apud Polemonem, postquam Glycera domo Polemonis ad Myrrhinam se contulit, sed domi Myrrhinae. Vix enim, praesertim cum supra (p. 6) viderimus personas semper, quamcunque in vitae condicionem veniunt, *γνωρίσματα* secum habere, credere possumus Glyceram cistellam Polemonis domi reliquisse. Antecedit autem *ἀναγνωρίσει* in altera eiusdem papyri K pagina ea scaena, in qua Glycera apud Pataecum se purgat eique suadenti ut ad Polemonem redeat obsistit (v. 301–18)[1]. Pataecus igitur precibus Polemonis (v. 257 sq.) obsecutus Glycerae animum placare conatur. Qua in re nihil est mihi veri similius quam Pataecum iam nonnulla de Glycerae sorte comperisse. Accuratius autem rem explorare vult[2], cum ut cistula, quam se secum habere Glyceram ei narravisse credo, afferatur, a virgine petat. Quam cistulam Doridem servam apportare Glycera iubet[3]. Nunc sequitur — septem fere versus excidisse Koerte demonstravit — alterum folium Lipsiense. Cista iam allata est. Pataecus Glycera praesente ea quae insunt promit et intuetur. Moschio autem clam adest, ut neque a Glycera neque a Pataeco cernatur[4]. Iam ornamenta inspicere coepisse Pataecus videtur. Nam Moschio eius rei quae

[1]) cf. Koerte Menandrea p. XXXVII.

[2]) Pataecum enim *ἀναγνωρίσει* efficiendae operam dare censeo, non ut Koerte vult Glyceram. Qua re in versibus 320—330 distribuendis Sudhausium sequor.

[3]) Viros doctos quaerere (cf. Schmidt l. l. p. 435), cur Doris domum mittatur, ut cistulam apportet, miror. Nam consentaneum est servam servili munere fungi, praesertim cum Glycera ei res suas servandas dederit: *ἔνεγκε μοι τὴν κίστιδα ἔξω . . . ἥν δέδωκά σοι τηρεῖν* (v. 331 sq.).

[4]) v. Arnim 8 sq., v. Leeuwen Mnemos. 1909 p. 234, Schmidt p. 438. De Roberti sententia vide p. 30[1]).

ei in manibus esse putanda est recordatur: *ὃν καὶ τότε εἶδον*[1]). Pataecus autem id quod inspicit utrum *τράγος τις ἢ βοῦς ἢ τοιουτὶ θηρίον* sit dubitat. Glycera cervum esse eum docet. Hoc secundum ornamentum videtur esse. Primum autem nescimus. Nam tertio loco Pataecus equum volucrem enumerat. Quas res uxoris suae fuisse statim cognoscit. Ita enim versus inter personas distribuendos esse cum Schmidtio (p. 438/9) censeo:

ΜΟ. ὃν καὶ τότ' εἶδον· ΠΑΤ. οὐ παρ' αὐτὸν οὑτοσὶ
τράγος τις ἢ βοῦς ἢ τοιουτὶ θηρίον
ἕστηκεν; ΓΛΥΚ. ἔλαφος, φίλτατ', ἐστίν, οὐ τράγος.
ΠΑΤ. κέρα γ' ἔχει τοῦτ'. ΓΛΥΚ. οἶδα. ΠΑΤ. καὶ τουτὶ τρίτον
πετεινὸς ἵππος . . . .

Secundum autem signum illud Koerte (p. 164) opinatur esse anulum vel vestem, in qua imago hominis et bestiae vel bestiae et cervi sit picta. Quodsi Robert (p. 291/2, 294) hoc ornamentum insigne aurium esse credit, signum ipsum nimia cum licentia definivisse mihi videtur. Sed recte ex hoc signo explicare conatus est, quo modo Moschio dicere posset: *ὃν καὶ τότε εἶδον*. Alterum enim ait Robert insigne eiusdem artis Moschioni exposito patrem addidisse, id eum cum nesciret suum esse apud Myrrhinam aliquando vidisse[2]). Itaque cum Myrrhinam re vera matrem suam esse credat, eum concludere Glyceram esse filiam Myrrhinae, quae cum se educaverit, eam exposuerit, ergo sororem suam (v. 67—72 = v. 344—48 Koerte). Quam se invenisse aegre fert ut Stratippocles in Epidico, quia amicam amisit (v. 348). Deinde

---

[1]) Et Robert (p. 290) et Schmidt (p. 438) haec verba Moschioni tribuunt, contra Koerte et Sudhaus Pataeco.

[2]) Quando Moschio id signum videre potuerit conicit Schmidt (p. 439 sq.), cum Moschionem feminarum colloquium, in quo Glycera Myrrhinam ut domi suae se reciperet oravisset, aucupavisse dicit. Glyceram enim ut iniuriam a Polemone acceptam ulcisceretur, fratris domum ad Myrrhinam confugisse. Myrrhinam autem non prius eam recepisse quam signis se Moschionis sororem esse probavisset atque iuravisse se de ea cognatione tacituram esse (v. 362/3; idem sentiunt Robert p. 287 et v. Arnim p. 13). Etiam Schmidt igitur signa Glycerae et Moschionis similia esse arbitratur, qua similitudine Myrrhina sibi persuadet Glyceram Moschionis sororem esse. Tacere autem Glyceram a Myrrhina iussam esse, quod timeret, ne, si Glycera soror Moschionis cognosceretur, iam appareret Moschionem non suum esse filium quem simulavisset, sed subditivum (Schmidt p. 442).

Pataecus pergit quaerere quis eam educaverit, quo loco is se eam invenisse dixerit. Cum Glycera locum describat, Pataecus intellegit esse *τὸν αὐτόν, ὅνπερ χὼ τιθεὶς εἴρηκέ μοι* (v. 368). Qua re audita Glycera timida interrogat, quis ipsam exposuerit. Pataecus se exposuisse respondet atque etiam causam libere confitetur. Usque ad hunc locum omnia bene tradita sunt; qui sequuntur versus male lacerati sunt, sed tamen Robert (p. 294) et Schmidt (p. 437) cognoverunt Moschionis *ἀναγνώρισιν* subsequi. Pataecus ex Glycera quaerere videtur, num plura signa addita fuisse meminerit (Rob. p. 295), Glycera respondere (v. 385/6): *ἦν καὶ δέραια καὶ βραχύς τις . . . . κόσμος προσών.* Nam Pataecus iure credere potest Glyceram fortasse etiam de signis fratris ex anu illa, quae liberos sustulerat, aliquid habere compertum. Nonnulla videtur oblita esse, nam Pataecus interrogat (v. 390): *ἔχοις ἂν εἰπεῖν . . . . ζώνη τις ἦν*; quam in signis fuisse Glycera confirmat et quid in ea pictum sit dicit (v. 391). Similem sensum haud scio an v. 392/3 praebeant. Nunc Moschio se retinere iam non potest, quod ex v. 394 colligo, et ex occulto prodit (v. 396): *πάρειμι τοῦτον . . . ἐγώ*[1]). Pataecus vel Glycera vel uterque quis subito prodeat miratus interrogat. Nam qui se testibus remotis agere crediderunt, nunc turbantur eius ipsius adventu, de quo sunt collocuti. Nunc autem Moschionem cognosci puto. Myrrhina autem num domo arcessita sit, incertum est. Nam etiam intus de hac re certior fieri potuit. Mirum autem est, quod nullam vocem salutantis vel laetantis audimus, sed semel tantum (v. 389) Glycera Pataecum patrem appellat.

[1]) Schmidtium (p. 437) sequi non possum, qui hos versus ita interpretatur, ut Moschio post v. 396 domum introeat, ut *γνωρίσματα* sua afferat, et Pataecus miratus eum conspiciat. Mirum est quod nunc subito Pataecus circumspicit, qui tam diu eum non animadvertit. Praeterea vix memini fieri, ut is qui clam sermonem, qui in scaena habebatur, aliquamdiu aucupavit, domum redeat, sed ex occulto prodire solet et actioni interesse. Idem Robert (p. 293) videtur sensisse, qui Moschioni tribuit has partes: usque ad v. 353 cognitioni palam interest, qua re versus quos supra exscripsi aliter explicantur (cf. p. 292). Deinde (v. 353) Pataecus eum recedere iubet, ne interpellatione *ἀναγνώρισιν* turbet (p. 293). Procul autem totam rem observat. Sed cum Pataecum nova signa enumerare audiverit, arbitratus de suis signis agi, prodit et singula ex Pataeco quaerit (v. 390, 391). Et cum Pataecus mitram commemoraverit, re cognita domum currit, ut sua signa efferat (p. 295/6).

§ 13. Multo simplicius *ἀναγνώρισις* inter fratrem et sororem instituta est in Plauti Epidico. Facile Epidicus Telestidem, quam Stratippocles ex praeda ut meretricem emit, Periphanis filiam esse recognoscit, quam cum ei a patre dona natali die attulerit cognovit (v. 634 sq.). Et Telestis ipsa commonefacta huius rei meminit. Rem autem tam manifestam Stratippocles quin mox intellegat fieri non potest, quamvis iratus primo sorori salutanti obsistat (v. 649). Item celeriter prior quae in hac fabula est *ἀναγνώρισις* peragitur (v. 526 sq.). Ii enim, qui antea se amaverunt, memoria pristini facti mox se cognoscunt, postquam cauti sibi ipsis non satis confisi rem antea inquisiverunt. Neque quidquam dubii restat in priore cognitione in Plauti Poenulo (v. 1029 sq). Nam tam diligenter exquirit Hanno Agorastoclem, ut hi duo viri primo cives eiusdem civitatis Carthaginienses, deinde hospites postremo, quod cicatrice quae a morsu simiae remansit confirmatur, cognatos se esse simul intellegant.

§ 14. In omnibus fabulis de quibus adhuc egimus ambo inter quos *ἀναγνώρισις* fit in scaena sunt, ut *ἀναγνώρισις* re vera agatur. Nunc autem ad eas fabulas transeamus, in quibus altero absente *ἀναγνώρισις* fit. Ubi ita res geritur, alter in scaena rebus quibusdam sibi persuadet propinquum se invenisse, quem ut adeat atque salutet domum contendit. Deinde *ἀναγνώρισιν* intus factam esse plerumque nobis nuntiatur. Ita *ἀναγνώρισις* composita est in Plauti (i. e. Menandri) Cistellaria. Melaenis lena iam sua sponte Selenium parentibus redditura est, iam Haliscam servam cistellam ferentem fores pultare iussit, cum omnia perturbantur ab Alcesimarcho, qui amore vexatus mortem sibi consciscere vult. Selenium autem ubi conspexit, summo amore incensus domum suam rapit. Melaenis eum sequitur, ut ei quo loco Selenium nata sit narret, qua re se eum tranquillum ex irato sibi facturam esse sperat (v. 652). Qua in turba Haliscam cistellam amisisse credo[1]). Quam Phanostrata ubi vidit, statim vehementer commota atque spe affecta cognoscit (v. 653 sq.). Deinde ab Halisca cistellam quaerente nonnulla de filia comperit et ad eam ducitur. Domi facile *ἀναγνώρισιν* fieri cogitandum est.

---

[1]) Ita si scaenas interpretamur, non est quod cum Langenio (ll. p. 133) poetam reprehendamus; cf. W. Studemund Studien II p. 436.

Ut apud Plautum in una sola fabula, ita apud Terentium semper *ἀναγνώρισις* fit. Cistellariae similis est *ἀναγνώρισις* in Heautontimorumeno (Menandri)[1]. Etiam hic mater statim, ubi signum, quod filiae expositae addidit, anulum vidit, cognoscit (v. 613 sq. 656). Sed Sostrata iam domi rem perspexit. Quo gaudio commota domo proruit. Nutrice quae recte eam signum cognovisse confirmavit intromissa maritum opperitur[2], cui unde illum anulum habeat, dicit (v. 654/5) filiamque esse inventam persuadet et ne rursus filiam aspernetur supplicat. Qua re impetrata cum marito, id quod iubetur (v. 664), domum abit ad filiam salutandam. Postea verbis Cliniae laetantis *ἀναγνώρισιν* domi effectam esse certiores fimus (v. 679).

§ 15. Et in Andria (Menandri) Glycerio absente Crito Chremeti Simoni Pamphilo omnia narrat, quae de eius sorte scit, qua re efficit, ut Chremes eam filiam suam esse intellegat (v. 923 sq.). Etiam hic similiter atque in Plauti Rudente quo longius Crito narrat, eo magis Chremeti res apparet. Cum audiverit Phaniam quendam Rhamnusium puellam secum apportavisse, sperare incipit: *O Iuppiter* exclamat (v. 930), et cum puellam non Phaniae filiam sed fratris filiam fuisse compererit, sibi persuasit: *Certe meast* (v. 933). Ultimum scrupulum, qui Chremeti, cum nomen virginis non conveniat, restat (v. 940), Pamphilus tollit (v. 943 sq.). Deinde postquam cum omnium laetitia matrimonium filiae inventae Pamphilo promisit, properat ad filiam, ad quam ut testis sit Critonem se comitari iubet (v. 951 sq.). Celerius res patefit in Phormione (Apollodori). Chremes enim ut in Plauti Poenulo filiae suae nutricem, quae Lemno Athenas profecta, cum solum falsum nomen Stilponem sciverit, eum diu frustra quaesivit, casu convenit et cognoscit et ab ea vivere et Antiphoni nupsisse filiam comperit, quam ut salutet domum se confert (v. 728—765). Filiam autem se invenisse Nausistrata uxore remota Demiphoni narrat (v. 817). Etiam a Geta ero suo rem bene evenisse exsultante, qui sermonem intus habitum auribus captavit, et Antipho et nos *ἀναγνώρισιν* domi factam esse certiores fimus (v. 941 sq.).

[1] cf. Koehler de Haut. p. 21 sq.

[2] Polczyk l. l. p. 46 propterea Sostratam maritum opperiri recte censet, ut coram spectatoribus se filiam agnovisse narrare possit.

§ 16. Neque in Eunucho (Menandri) virgo, quam Thais meretrix, cum eam quae ei serva dono data est civem Atticam esse sciat (v. 110), parentibus reddere vult, in scaenam prodit. Thais autem consilium suum exsequitur, cum Chremetem, quem fratrem virginis esse existimat — quod ex nomine patris et matris quod virgo sciebat (v. 111), videtur conclusisse — ad se vocatum cistellam cum monumentis inspicere iubet. Chremes eam nutrici, ut similiter atque in Heaut. rem confirmet, ostendere vult (v. 807). Quod factum esse Pythiae narrat (v. 910 sq.), quae eum introire iubet. Domi Thaidis igitur Chremetem sororem invenire apertum est. Singularis autem est in hac fabula benignitas Thaidis meretricis.

Item meretricem probam videmus in ea quae restat fabula Terentiana Hecyra (Apollodori). Philumena virgo modo in matrimonium data a marito inscio gravida facta et anulo suo privata puerum parit (v. 570 sq.). Quo fit, ut matrimonium turbetur. Meretrix autem Bacchis efficit, ut maritus et uxor in gratiam redeant. Nam cum senibus promiserit se matrimonio restituendo consulturam esse, ad Philumenam se confert, quae illum anulum, quem maritus Bacchidi dono dedit, cognoscit. Inde Philumena a marito se stupratam esse intellegit. Haec domi Philumenae facta esse Bacchis Parmenoni dicit eumque iubet de ea re erum suum certiorem facere et ad uxorem revocare (v. 808 sq). Deinde postquam Parmeno abiit, sola uberius narrat, quid domi actum sit (v. 821 sq.).

Eadem fere res agitur in Menandri Epitrepontibus. Mulier modo nupta puerum, quem inscia ab eo cui postea nupsit peperit, cum signis exposuit. Is puer in manus Syrisci venit, cui Onesimus anulum, quem eri sui esse intellexit, adimit. Quem anulum Onesimus Habrotono roganti tradit, quae nunc cognitioni consulit. Primo per dolum anulo monstrato Charisium se patrem pueri esse confiteri cogit. Deinde cum ad Pamphilam cum puero et anulo itura sit eam matrem esse arbitrata, Sophrona nutrix eius ei obvia fit[1]) statimque puerum cognoscit atque gaudet, cum Charisium patrem esse audiverit (v. 450). Nunc Habrotono relin-

---

[1]) *'Αναγνωρίσεως* efficiendae causa utramque mulierem scaenam inire Polczyk p. 48 recte affirmavit.

quitur, ut Charisio quem vehementer vitii sui paenitet (v. 487 sq.) — nam ab Habrotono puerum natum esse cogitat — nuntiet eum uxoris legitimae filium esse (v. 537 sq.). Vix Charisius id credere potest. Ter interrogat, num vere Pamphila mater sit. Deinde cum sibi persuaserit, summa laetitia afficitur.

Quibus in rebus Epitrepontes et Hecyra similes sint effugere neminem potest[1]) neque effugit Apollinarem Sidonium qui *Epitrepontem Menandri fabulam similis argumenti* atque Ter. Hecyram esse dixit (IV 12). Apollodorus autem Menandrum imitatus est, cuius fabulae argumento novum momentum addidit, cum socrum induxit[2]).

In eis autem tribus fabulis, quas postremo perlustravimus, meretrices ab omnibus contemptas (Hec. 771/2), quae etiam apud poetas nihil nisi lucrum petere solent, ut in Cistell. Melaenis, quae coacta solum Selenium dimittere constituit (v. 626 sq., 633), animo honesto ac misericordi agentes poeta fecit. Nam non modo rem agunt a meretricibus alienissimam (Hec. 756. 834 ad quem versum Donatus p. 338, 10 W Eun. v. 37 affert.), quamquam incommodo eis est (Hec. 838), sed etiam laetantur se ita egisse (Hec. 833) neque ullum praemium petunt (Eun. 749) nisi quod aliquos parere amicos beneficio suo cupit Thais (Eun. v. 147—150) vel libertatem assequi vult Habrotonon (Epitr. 321—332). Etiam ea mulier hic commemoranda est, quae in Menandri Peric. se morituram esse suspicata virgini, quam educavit, omnia, quae de eius genere sciebat, dixit (v. 12 sq.).

---

1) cf. v. Wilamowitz Neue Jahrb. 1908 p. 48/9.

2) Hae duae fabulae nonnulla communia habent cum dramate Indico quod inscribitur abhijñânaçakuntalà i. e. Sacuntala cum *γνωρίσματι* (cf. S. Lévi le Theâtre Indien p. 141) quocum titulo conferendus est titulus fabulae Iuventii comici Romani ‚Anagnorizomene' (Ribbeck Com. Rom. fr. p. 82). Etiam in Indico dramate iuvenis (rex) virginem (Sacuntalam) compressam anulo donavit. Iidem cum rursus sibi obvii fiant, se non cognoscunt. Iuvenes mulieres, quas ab alio gravidas factas esse credunt, repellunt. Demum cum anulus ille eis monstretur, re cognita eos facinoris sui magnopere paenitet. Denique uxores recuperant. In Sacuntala rex cum uxore rursus coniungitur *ἀναγνωρίσει* in scaena acta, quae fit in luco sacro in monte ‚Hemakuta' in quem Sacuntala repudiata traducta est. Omnino in dramate Indico res cottidianae in mirum conversae sunt: rex uxorem non cognoscit, quod devotus est, anulum illum, ut Polycratis anulum (apud Herodotum III 41, 42), piscator in piscis quem cepit alvo invenit.

Denique si omnes fabulas quarum in cognitione altera tantum persona in scaenam procedit, respicimus, causa huius rei saepe intellegi potest; plerumque enim in fabulae argumento posita videtur esse: in Andria Eun. Hec. Epitr. de mulieribus gravidis, e quibus Glycerium (Andria) et Philumena (Hec.) in fabula ipsa pariunt, agitur. Quas mulieres poetae comici in scaenam non induxerunt[1]). Alcmena autem quod in Plauti Amphitruone gravida facta prodit, regulam non confundit, nam ea comoedia tragoediam imitatur et est ut prologus dicit (v. 63) tragicomoedia. Et Phronesium, quae in Plauti Truc. v. 449 sq. puerperio aegra in lecto cubat, meretricia arte usa totam rem adsimulavit. In Phormione autem et in Eunucho eam quae postea a patre cognoscitur virginem liberam civem Atticam esse iam ab initio fabulae constat, liberam autem puellam nullus poeta comicus in scaenam produxit (cf. Donatum p. 37,2 sq. W). Eiusmodi autem cognitionibus spectatorum animos raro tam vehementer occupari quam si ambos in scaena congredientes vident nemo negabit.

§ 17. Restat, ut eas fabulas perlustremus, in quibus *ἀναγνωρίσεις* quas dixi simplices insunt. Satis quantum video sunt paucae. Theseus in Eur. Aegeo cum Athenas venit, Aegeum patrem suum esse scit, sed ei ipsi laetitiam filii cognoscendi parare vult, quod paene ei calamitati fuisse supra (p. 20) diximus. In hoc autem ordine omnes eae fabulae numerandae sunt, in quibus quis veste mutata advenit, sed cognoscitur. Cuius rei notissimum exemplum est Ulixes, qui veste mendici indutus ab Eurycleia pedes lavante cognoscitur, quam *ἀναγνώρισιν* Sophocles in Ulixe qui vocatur *ἀκανθοπλήξ* (W I 240) eumque secutus Pacuvius in Niptris (R 270) adhibuerunt. Aliam similem *ἀναγνώρισιν,* quae narratur in Odyssea IV 224—264, ubi Ulixes, qui *,αἰκισάμενος'* Troiam speculatum intravit, ab Helena cognoscitur, Ionem in tragoediam transtulisse Welcker credit (W p. 948). Deinde

[1]) cf. quod v. Wilamowitz (Neue Jahrb. 1908 p. 54) hac de re dicit: *Freilich haben wir wieder die Enge der attischen Convention zu tadeln und zu beklagen, dass dem Dichter verwehrt war, Pamphila* [in Epitr.] *selbst einzuführen. In der Tat, ist es schmählich, daß die Athener wohl eine Heroine Tyro, Auge Kanake, sogar Pelopia und Pasiphae auf der Bühne alles sagen ließen, aber ihre eigenen Frauen und Töchter in ähnlichen Lagen darzustellen dem Dichter unbedingt verwehrten.*

Telephus apud Euripidem et Ennium, qui Euripidem imitatus est (R p. 104 sq.), ut remedium vulneris a Graecis petat Mycenas venit mercatoris Mysii habitum gerens, ne odio moti Graeci auxilium denegent, sed cum non satis caute personam suam occultet, ab Ulixe cognoscitur[1]. Etiam in Eur. Dictye Perseus, qui matrem a Polydecte liberare vult, mutata veste advenit. Qua in tragoedia etsi multa incerta sunt[2], id constat Perseum in tempore cognitum similiter ac Menelaum Helenam, matrem suam, quae ut ab insidiis Polydectis matrimonium flagitantis tuta esset ad aram confugit, servavisse. Praeterea in Eur. Philoctete Ulixes ab Athena commutatus Herculis arcu potitur. Philoctetes autem eum non cognoscit, sed ipse quis sit dicere debet[3]. Neque in Soph. Procride Procris Cephalum maritum, qui habitu permutato a longo itinere ad uxorem reversus fidem eius experitur, ipsa cognoscit, sed maritus quis sit aperit (W p. 388). — Etiam in comoediis accidit, ut homines veste mutata agant ut Mnesilochus in Arist. Thesmophoriazusis vel Chaerea in Ter. Eun. veste eunuchi vel Chalinus in Plauti Casina veste Casinae indutus. Neque tamen ex ea re vera *ἀναγνώρισις* oritur.

§ 18. In scaenis enarandis simul vidimus, quantopere animi moveantur in cognitionibus, qua spe atque exspectatione, qua miratione, quanto interdum stupore et quanta laetitia plerumque afficiantur. Quam laetitiam uberrime exprimit Electra Sophoclea. Et summum est gaudium, ubi cognatus alterum, cum eum interfecturus fuerit, cognoscit ut in Eur. Ione et Iph. Taur., vel ubi quis cognitione facta cruciatu liberatur ut in Eur. Antiopa et Melanippa (cf. infra p. 45/6). Quin etiam tantopere saepe qui se cognoverunt laetitiae se dedunt, ut quo in periculo versentur et quid sibi faciendum sit, plane obliviscantur, ut Electra Sophoclea vel in Eur. Iph. Orestes et Iphigenia, quae cum fata sua narraverit, demum v. 855 periculum recordatur, vel Menelaus et Helena quod antea passi sint inter se communicantes, cum subito (v. 776) Helena

---

[1] W p. 477, Wecklein, Sitzber. d. bayr. Ak. phil. hist. Kl. 1878 vol. 2 p. 219.

[2] W p. 688, Wecklein ibidem 1888 vol. 1. p. 109 sq.

[3] Wecklein l. l. 1888 vol. 1 p. 127 sq. P. Meltzer De Aeschyli Euripidis Accii Philoctetis Schneeberg 1907 p. 7 sq.

quo in discrimine maritus et ipsa sint reminiscitur. Item in comoediis magnopere laetantur, quorum ἀναγνώρισις de improviso facta est. Qua in re laetantium voces saepe similes sunt: Men. 1124 et Rud. 1172 *(contineri quin complectar non queo)*[1]; Capt. 891 et Poen. 1077 *(Iterum mihi gnatus videor, cum te repperi)*[2]; Rud. 1175, Men. 1132, Poen. 1127, 1259 sq. *(salve insperate).* Neque minus gaudet in Men. et Poen. altera persona, quae postquam cognatos diu quaesivit recuperat, praesertim cum laborem nunc confecerit: Men. 1133 et Poen. 1262. Memorabilis autem est cura atque laetitia matrum in Plauti Cist.[3]) et Ter. Heaut. Phanostrata (Cist.) enim cum Lampadio rem tardius agat, ipsa rei exquirendae operam dat et certior facta cum laetitia exclamat: *Quod quaeritabam filiam inveni meam* (v. 759). Atque ita cavet, ne occasionem filiae inveniendae dimittat, ut cistulam Haliscae reddere primo dubitet. Et Sostrata (Heaut.) filia inventa cum a viro impetraverit, ut reciperetur, ita laetatur, ut deos gratulando obtundat (v. 879 sq.). Dis gratias agit etiam Hanno in Poenulo (1253 sq.): *Nunc . . . Eas deis est aequom gr..tias nos agere sempiternas, Quom nostram pietatem adprobant decorentque di immortales.* Quasi praemio pietatis a deis liberos redditos esse dictum invenimus etiam in Curc. 639 sq. Poen. 1137, 1277[4]) Rud. 1176. Et deos auctores fortunae esse credit Phaedromus (Curc. 658 sq.) cum optet: *Deos volo bene vertere istam rem vobis* et Phanostrata (Cist. 573) quae precatur: *Servate di med, obsecro*[5]) et Daemones (Rud. 1164) *di me servatum cupiunt* et Menaechmus II (Men. 1120) iisdem verbis usus. Apparet igitur comicos in affectu significando certas sententias certaque verba iterum atque iterum usurpasse. Neque dubitandum est, quin iam Graeci eiusmodi locos excoluerint. Maritus autem in Ter. Heaut. nimiam pietatem uxoris vituperat (v. 879 sq.). Et hic et Demipho in Cist. filiam inventam esse

---

[1]) Plurimos eorum quos affero locos iam H. Kellermann de Plauto sui imitatore, Comm. phil. Ienenses VII, 3 collegit. cf. p. 184.

[2]) Kellermann p. 176.

[3]) Hanc matrum curam in comoediis raram esse Leo (Plaut. Forsch. p. 143) recte ostendit, qui ut eluceat quid comici de matris amore cogitare soleant, Rud. v. 1202 sq. affert.

[4]) H. Kellermann l. l. p. 158.

[5]) ibidem p. 139, similiter Capt. 976. Men. 1114.

aequo animo ferunt. Aequissimo autem animo Periphanes in Epidico fert, quod mulierem quam olim compresserat cognovit. Nam Philippae quaerenti breviter respondet: *Ego sum, salve* (v. 558). Etiam ferocius in eadem fabula Stratippocles se gerit. Qui cum Telestidem sororem suam esse compererit, *Sanane haec est?* (v. 649) interrogat. Et sorori dicit: *Perdidisti et repperisti me* (v. 652), cum quod pro meretrice sororem redemit eum pigeat. Item Moschionem in Menandri Peric. se sororem agnovisse aegre ferentem vidimus (cf. p. 29). Mirum autem est, quod nullam laetantis vocem a Tyndaro in Capt. audimus. Quod inde fortasse intellegitur, quod malis quae in latomiis passus est etiam adeo oppressus est, ut laetari prohibeatur. Accedit, quod Stalagmo auctori calamitatis suae vehementer irascitur. Similiter laetitia coercetur in Aesch. Choephoris. Nam et frater et soror sciunt quam gravis atque seria res sibi gerenda sit. Summo autem cum dolore *ἀναγνώρισις* quam Aristoteles *εἰς δυστυχίαν ὡρισμένων* dicit coniuncta est in Soph. Oed. Quod semper accidere apparet, ubi *ἀναγνώρισις* sero post parricidium fit (p. 21.).

§ 19. In fine autem huius de scaenis partis de forma metrica, qua poetae in cognitionibus ipsis usi sint, nobis est disquirendum. Qua de re Ad. Groß bene egit in eo quem de stichomythia scripsit libro (Berolini 1905), cf. imprimis p. 55—59. Stichomythiam enim poetae in cognitionibus ipsis quoniam animi vehementius commoventur, adhibere solent: Aesch. Choeph. 214—24, Eur. Ion. 1409—35, Iph. Taur. 793—809 [1]), Helena 556—94 quo quidem colloquio *ἀναγνώρισις* non efficitur, cum Menelaus Helenae credere nolit, sed nuntius longiore narratione rem confirmat [2]). Ceteris in fabulis stichomythiae finis imponitur compluribus versibus continuis, quibus alter ut alterum convincat ultimum atque gravissimum argumentum affert. Sequuntur longiores exclamationes

---

[1]) Quae stichomythia duobus trimetris continuis (v. 799 sq.) interrumpitur, eo loco quo Orestes argumenta, quibus se esse Orestem sorori persuadeat proferre coepit (G r o ß p. 26). Similiter stichomythia dissolvitur, ubi signum affertur in Eur. El. 573/4 et Soph. El. 1223, cf. infra p. 39.

[2]) G r o ß (p. 55/6) quam ob rem in Helena *ἀναγνώρισιν* similiter compositam esse censeat atque in Choephoris non intellego. Neque enim quicquam commune habere mihi videntur eae *ἀναγνωρίσεις* nisi quod in utraque altera persona alteri dicenti quis sit primo non credit.

laetantium vel eodem versu iambico servato (Choeph.) vel lyricis metris adhibitis (Ion., Iph. T., Hel.), alterno cantu, quem responsione carere v. Wilamowitz Hermes 18 p. 244 observavit, cum in Soph. Electra responsio servata sit. In Eur. El. chorus Electrae locum explet (v. 585—94). Sophocles autem animi emotionem, quae sub finem crescere solet, etiam versuum conformatione exprimit. Nam ubi animi emotio in summum aucta est, a stichomythia ad hemistichia transit: Oed. R. 1173 – 76. Deinde eis trimetris, quibus minister Oedipodi quaerenti: *πῶς δῆτ' ἀφῆκας τῷ γέροντι τῷδε σύ;* (v. 1177) respondet, summa emotio quasi solvitur, et sequuntur questus trimetris (v. 1182—5) expressi Oedipodis primum, deinde chori lyrico carmine. Eodem modo hemistichiis post stichomythiam Sophoclem in Electra 1220—26 usum esse eamque formam Euripidem in sua Electra imitatum esse iam supra (p. 16, 17) dictum est. Groß (p. 56/7) haec hemistichia quibus *ἀναγνώρισις* et salutatio fit et quae versu integro 1223 ita interrupta sunt, ut prioribus sex hemistichiis *ἀναγνώρισις* fiat, alteris salutatio, prisca arte composita esse existimat. Quod ita ei concedemus, ut responsionem ipsam ad priscam artem referamus, hemistichia autem hoc ipso loco quo animi magnopere excitantur adhibita (Groß p. 24) ad poetam, qui a prisca et simplici ad perfectiorem artem progressus est. Nam apud Aeschylum talia hemistichia nondum invenimus[1]). Etiam in aliis cognitionibus Groß responsionem versuum statuit: cf. de Eur. El. p. 57, Iph. Taur. p. 58/9, Ione, ubi Ion matrem salutat (v. 1438, 1453), p. 59. Ad comoedias autem si transimus separandae sunt eae, in quibus *ἀναγνώρισις* in scaena agitur, ab iis, in quibus domi fit. Quod in illis fabulis homines vehementer permoti etiam saepius quam in tragoediis alterius sermonem interrumpunt, eius rei causa in natura comoediae posita est. Menandrum solum in Peric. tragicam formam, severam stichomythiam, servavisse Körte[2]) ostendit. In reliquis autem comoediis saepissime fit, ut persona medio in versu mutetur idque non modo semel sed etiam saepius, cum animus ad summam exspectationem erigitur, velut Plaut. Curc. 643:

---

[1]) cf. tabellam quam Groß instituit p. 47.

[2]) Berichte d. phil.-hist Kl. d. Kgl. sächs. Ges. d. Wiss. LX p. 169 sq.

. . . . quae fuit mater tua?

Pl. Cleobula Th. Nutrix quae fuit? Pl. Archestrata.

vel Epid. 554, 561. Quod iam in exemplis Graecis factum esse multi versus Menandri docent ut Epitr. 57, 76, 150, 174 aliique. Nonnumquam praeter eos homines inter quos *ἀναγνώρισις* fit ipsos alii dialogi participes sunt vel qui cognitioni favent ut Agorastocles in Poenulo vel qui obstant ut Curculio in Curc. vel qui favet et qui obstat cognitioni interest ut in Rudente Trachalio et Gripus, quibus personis scaena alacrius movetur et dialogus celerius currit. Verba salutantium et gaudentium, de quibus in paragrapho quae antecedit accuratius disseruimus, in comoediis multo breviora sunt quam in tragoediis; semel monologus adhibitus est, Rud. 1191 sq. ubi Daemones laetitiam suam exprimit. — In eis autem comoediis, in quibus altera earum inter quas *ἀναγνώρισις* fit personarum non prodit, dialogus in ea scaena qua res aperitur summa cum alacritate habetur, velut in Ter. Andria, ubi quis sit Glycerium per Critonem, cui Simo senex primo obloquitur, patefit (v. 904 sq.), vel in Plauti Cist., ubi mater cistellam videt et totam rem Lampadione interpellante ex Halisca exquirit (v. 658 sq.).

4.

Quem locum *ἀναγνώρισις* in totius fabulae compositione occupet.

§ 20. *Ἀναγνωρίσεις* ipsas satis perscrutati nunc quaeramus, quem locum in compositione fabularum habeant. Plurimis in fabulis *ἀναγνώρισις* res antea turbatas dissolvit. Quas inter fabulas sunt eae in quibus *ἀναγνώρισις* ab initio is finis est quem tota fabulae actio petit. In Soph. Oed. R. tota tragoedia de cognitione agit. Et in Eur. Ione Ion is est, qui quam sortem habiturus sit ab initio animum attendimus. In Menandri Epitr. et Ter. Hecyra, quibus in fabulis matrimonium puero parto turbatum est, ab initio haec quaestio est, a quo puer satus sit. Qua quaestione soluta cum matrimonium restitutum sit, fabula peracta est. Etiam Menandri Peric. ab initio ad *ἀναγνώρισιν* spectat, cum ex narratione Agnoias spectatores possint iam concludere de nulla alia re actum iri nisi de fortuna eorum liberorum, qui quomodo nati et educati sint Agnoia narrat. Neque aliter res se habet in

Plauti Rudente. Iam Arcturus nobis refert, quam miseram fortunam Palaestra habuerit (v. 32 sq.). Ipsam videmus fabulae initio naufragam lenonis manibus elapsam in Veneris templum fugientem. Sed etiam leno mare effugit et mulieribus rursus potiri conatur, quas Daemones Trachalionis precibus motus tuetur. Vides igitur totam fabulam ab initio de illius virginis fortuna agere, quam fortunam rursus cognitio conficit. Atque apparet totam actionem ad *ἀναγνώρισιν* pertinere ubi alter alterum quaerit, ut in Plauti Menaechmis, qua in fabula fratres postquam antea mutata persona alter pro altero multa egerunt et passi sunt, sibi obvii facti se cognoscunt, et in Cistell. Poen., Ter. Eun. (Thais enim Glycerae fratrem quaerit). In tempore autem in Poenulo Hanno filias invenit. Iam enim in eo erat, ut meretricio quaestui se dedere cogerentur[1]). Sed quod ex haruspicis dicto Anterastylis speravit (v. 1207 sq.) se a deis aut parentibus liberatum iri, id re vera accidit. Prior autem *ἀναγνώρισις* ad actionem movendam nihil valet. Nam Milphio etiamsi Hanno Agorastoclem sibi cognatum esse antea non cognovisset, illum ut sibi et ero suo contra lenonem auxilium ferret rogare potuit. Sed cum in Poenulo et Cistellaria — in Eunucho amores falsi eunuchi dum *ἀναγνώρισις* iam agitur accedunt ante *ἀναγνώρισιν* nobis ostendatur, quantopere adulescentes puellas quae in manibus lenonis sunt ament et ut servitute liberent operam dent, eae fabulae etiam in harum ordine fabularum numerari possunt, in quibus *ἀναγνώρισις* instrumentum est, quo actio ante inita conficitur. Hunc locum in tragoediis eae *ἀναγνωρίσεις* videntur habere, quibus cognatus alterum interficere prohibetur ut in Eur. Cresph. Aegeo (cf. p. 20.). Ex comoediis autem huius rei exemplum egregium est Ter. Andria (Menandri). Pamphilus virginem Andriam quae ei puerum paritura est vehementer amans a patre iubetur aliam mulierem, Chremetis filiam, in matrimonium ducere. Davo auctore simulat se optemperaturum esse. Deinde cum res opinione celerius inter patrem et Chremetem conveniat, Davus, ne Pamphilus promissum facere cogatur, eius puerum Chremeti monstrat, ut consilio matrimonii hic desistat. Nunc actio haeret. Matri-

---

[1]) Fabulae autem initio eas mulieres meretriciae artis non ignaras esse eamque discrepantiam contaminationi quae dicitur deberi Langen l. l. p. 183 docuit.

monium, quod patres voluerunt, solutum est, Glycerium autem in matrimonium ducere non potest. Est error inenodabilis, ut ait Donatus (p. 38 W). Quem errorem solvit poeta cognitione: per Critonem enim apertum fit Glycerium Chremetis filiam esse, quam Pamphilus uxorem ducere potest. Eadem vis *ἀναγνωρίσεως* est in Ter. Phorm. (Apollodori). Antiphon patre absente opera Phormionis mulierem quam amabat in matrimonium duxit. Hoc autem matrimonium solvere a patre irato coactus esset, nisi cognitione appareret virginem quam duxerat filiam Chremetis patrui Lemni natam esse. In Andria igitur et in Phormione filii patribus invitis matrimonium iunxerunt (in Andria Pamphilus Glycerio se eam in matrimonium ducturum esse promisit). Iam in eo est, ut ira patrum, qui iis alias virgines uxores dare volunt, mulieres amatas deserere cogantur, cum *ἀναγνωρίσει* (in utraque fabula per tertium hominem, nam virgines ipsae scaenam non ineunt, cf. p. 32) efficitur, ut coniuges suas servare eis liceat[1]). Apollodorum etiam hac in fabula ut in Hecyra Menandri vestigia legisse opinor. Eundem locum occupat *ἀναγνώρισις* in Plauti Curculione. Ibi Phaedromo contigit, ut virginem amatam, quae militi cuidam destinata erat, a lenone redimeret. Sed cum miles adveniat virginem sibi postulans, Curculio et Phaedromus in magnum periculum incidunt, quo liberantur cognitione inter militem et Planesium facta. Praeterea hac cognitione cavetur, ne frater et soror amore coniungantur. Idem cavetur in Plauti Epidico et Menandri Peric. Suam autem ipsius filiam ignotam in matrimonium ducturus est Cleaenetus in Menandri Georgo (cf. v. 69—74). Quod ne fiat neve adulescens, qui eandem virginem efflictim amat (v. 1—21), uxore sperata careat, *ἀναγνωρίσει* effici satis certum est[2]). Denique matrem in matrimonium ducere filius *ἀναγνω-*

[1]) Similis res est in Molieri ‚l'école des femmes'. Horace Angelicam uxorem non duceret, nisi illam eam mulierem esse quam pater ei dare in animo habebat, filiam Henrichi appareret (V 9). Neque aliter res se habet in eiusdem poetae ‚l'Avare'. Valère enim et Mariane a patre (Anselmo) cognoscuntur. Ut id efficiat, Valère signa (un cachet de rubin, un bracelet d' agate) affert et duos testes nominat. Cognitione autem facta et frater et soror matrimonium, quod petiverunt, assequuntur. Cf. v. Reinhardstoettcr, Plautus (Leipzig 1886) p. 291.

[2]) cf. Koerte Menandrea p. XLI.

ρίσει prohibetur in Soph. Mysis (cf. p. 20 sq.). Quem rerum nexum poetas in deliciis habuisse et illa exempla docent et hi versus, quibus Syriscus in Menandri Epitr. 124 sq., quid *ἀναγνωρίσει* caveri vel effici possit enarrat: *γαμῶν ἀδελφήν τις διὰ γνωρίσματα ἐπέσχε*[1]*), μητέρ' ἐντυχὼν ἐρρύσατο, ἔσωσ' ἀδελφόν.*

Illa autem quae est inter fratrem et sororem *ἀναγνώρισις* in Epidico non ut in reliquis comoediis propterea fabulam solvit, quod illorum fortunam decernit, sed quod efficit, ut Epidicus, quem erum suum identidem illudentem vidimus, poenam evitet, cf. Langen l. l. 147: ‚Im Epidicus hat der Dichter die Schlauheit des Sklaven auf ihrem Höhepunkt darstellen wollen: so ist die Erdichtung des

---

[1]) Talem *ἀναγνώρισιν* antiquos poetas imitatus Lessing adhibuit in dramate ‚Nathan der Weise.‘ Nam tum ipsum, cum eques sacri ordinis maximo amore Rechae inflammatus est, a Nathane certior fit eam ipsius sororem esse. Rei novitate paulum obstupefactus laetus sororem amplectitur. Eodem modo Schiller res conexuit in eo dramate, in quo quam maxime antiquae tragoediae se applicavit, quod inscribitur ‚Die Braut von Messina‘: Don Manuel et Don Cesar eam quam amaverunt Beatricam sororem suam esse comperiunt. Iterum Schiller fratrem et sororem amantes finxit in ‚Die Kinder des Hauses‘, cf. ed. Bellermanni X p. 93—126. *Ἀναγνώρισιν* autem fieri voluit inter fratrem sororemque et utrumque cognosci a patris fratre improbo (cf. p. 25 adn. 1). Atque omnino Schiller saepius ea argumenta in quibus *ἀναγνωρίσεις* insunt tractavit: de dramatis ‚Die Räuber‘ et ‚Turandot‘ cf. infra p. 51[2]) et 52[1]) de Warbeckio Bellermann X p. 195 et de Demetrio ibidem p. 313, 344, 395, 474. Denique in ‚Preciosa‘, quod drama Pius Alex. Wolff ex Cervantis fabella fecit, Preciosa cum praedonibus vagantibus, qui puellam olim rapuerunt, iam pulcherrima virgo facta in patriam suam venit, a fratre ignoto vehementer amatur (III 5), deinde a matre cognoscitur. *Ἀναγνώρισις* fit per Viardam anum, quae narrat, quam fortunam puella habuerit et signa affert: crucem adamantinam, in qua nomen puellae inscriptum est, et duas stellas, quae in pectore inveniuntur (V 12).

Similiter incestus prohibetur in eo dramate, quod Beaumarchais composuit, ‚les Noces de Figaro‘ (III 16). Marcellina in tempore Figaronem, qui iudicio eam uxorem ducere coactus est, filium cognoscit. Et Figaro ut Preciosa olim a praedonibus raptus est. Etiam hic ut cum Aristotele loquar *σημεῖα τὰ ἐκτός* et *σημεῖον τὸ ἐν σώματι* adhibita sunt: incunabula *(σπάργανα)*, vestes pictae *(ἱμάτια)*, ornamenta aurea *(περιδέραια)* et cicatrix, quae est in lacerto dextro. Cum ex rerum discrimine tum ex signis concludere non dubito et in Preciosa et in les Noces de Figaro *ἀναγνώρισιν* ab antiquis litteris pendere (cf. Skutsch Rhein. Mus. 55, 283 adn. 1), e quibus ad Hispanos primum, tum demum ad Wolffium et Beaumarchaisium pervenerit.

doppelten Betruges zu verstehen . . . und als der doppelte Betrug entdeckt ist und alles über dem listigen Sklaven zusammenzubrechen droht (priore enim *ἀναγνωρίσει* apparet, quantum in periculum Epidicus fraude a Philippa detecta inciderit), da hilft ihm ein glücklicher Zufall aus der Patsche'. Et quoniam de Epidici fallaciis totam fabulam poeta fecit[1]) non curavit — etsi senes de matrimonio iungendo collocuti sunt (v. 168) — utrum Periphanes Philippam duceret necne, praesertim cum ne de Telestidis quidem matrimonio nos docuerit. In exemplari autem Graeco Periphanem Stratippocli filiam suam altera uxore natam in matrimonium dedisse Dziatzko (Rh. M. 55, 164 sq.) censet; quam recte dubito. Item *ἀναγνώρισις* quamquam in fine quam brevissime narratur actionem conficit in Plauti Casina. Nam postquam tres viros de Casina certantes vidimus, in fine duobus versibus (1013 sq.) comperimus fore, ut Casina filia Alcesimi cognoscatur et Lysidami filio Euthynico se amanti nubat. Quam *ἀναγνώρισιν* prologo bene praeparatam apud Diphilum sicut in ceteris similis argumenti fabulis in scaena actam esse viri docti recte sibi persuaserunt[2]). Paulum in Captivis *ἀναγνωρίσεως* vis ab iis quas adhuc tractavi differt: Hegio duos filios amisit, quorum alter ei quadrimus raptus est, alter bello captus in hostium manus venit. Quos quomodo recuperet, argumentum fabulae est. Illum recuperat commutatione captivorum, hunc *ἀναγνωρίσει* invenit. Altera igitur eaque gravior pars totius argumenti cognitione solvitur. Pariter res se habet in Ter. Heaut. Nam cognitione Antiphilae res quae ad Cliniam pertinent ad finem perductae sunt. Nunc autem altera quae hac nititur pars fabulae sequitur, qua quis exitus Clitiphonis amoris sit videmus[3]).

In ceteris autem fabulis quod post *ἀναγνώρισιν* factam agitur ad ea tantum pertinet, quae ex cognitione sequuntur. Patres filias

---

[1]) cf. Bach. 214: *etiam Epidicum quam ego fabulam aeque ac me ipsum amo* . . . Cum Epidico recte v. Reinhardstoetter l. l. p. 406|7 confert Molieri l'Étourdi et les Fourberies de Scapin.

[2]) cf. Leo Plaut. Forsch. p. 188. Plaut. Cantica p. 105 Skutsch Rh. M. 55, 282|3, quibus oblocutus est Legrand Rev. des ét. gr. 1902 p. 376.

[3]) cf. O. Köhler de Heaut. comp. p. 38—40. Sed haud scio an propterea duae actiones una fabula Terentiana contineantur, quod poeta duas fabulas Graecas confudit (cf. Skutsch Phil. 59 (1900) p. 1—8).

inventas eis despondent qui eas antea amaverunt vel matrimonium turbatum restituitur. Menaechmi in patriam redire constituunt, neque aliud Hanno et Agorastocles (Poen.) sentiunt. Ii qui quid ad cognitionem contulerunt praemio afficiuntur, servi in libertatem vindicantur Epidicus, Messenio (Poen.), Trachalio (Rud.), Habrotonon (Epitr.), quam libertatem quam petivit assequi veri simile est. In Eunucho autem actio post ἀναγνώρισιν paulum procedit, cum Pythias Parmenoni timorem iniciat, ne erus moechus deprensus puniatur, et cum inter Phaedriam et Thrasonem militem conveniat, quo modo uterque in Thaidem se gerat. Similis res est in Phormione, ubi post ἀναγνώρισιν Demiphonem frustra operam dantem videmus, ut a Phormione triginta minas, quas dotis loco ut Phanium uxorem duceret ei solvit, auferat. Et in Plauti Rud. post ἀναγνώρισιν Plesidippus quam bene res evenerit, certior fit et leno Palaestram gratis dimittere et Daemoni ero eam quam Gripo promisit pecuniam dare cogitur. Similiter omnibus perfidis lenonibus, qui liberas puellas in potestatem suam redegerunt, accidit, ut et puellas sine mercede reddere et pecuniam solvere cogantur (Curc. Poen. Rud.). Etiam Stalagmus quod Tyndarum puerum abstulit et vendidit, sceleris sui poenam dat, cum in lapicidinas mittatur.

§ 21. Etiam alium locum in compositione fabulae ἀναγνώρισις occupat: est momentum quo impulsa actio promovetur atque ad finem perducitur. Eam vim habet in Aesch. Choeph., Soph. El., etiamsi apud eum ἀναγνώρισιν magis eminere vidimus, Eur. Electra. Orestes in patriam reversus sororem cognoscit, ut hanc sibi adiutricem assumat, deinde cum ea grave munus patris ulciscendi suscipit. Etiam in Eur. Iph. T. ἀναγνώρισις priorem solum partem tragoediae explet, in qua posita est altera, qua frater et soror de salute consilium capiunt et exsequuntur. Item rem in Helena se habere nemo nescit. Helenae autem Dictys similis videtur fuisse (cf. p. 36). Praeterea hic complures tragoediae afferendae sunt, quarum in compositione ἀναγνωρίσεις, quae quomodo factae sint parum scimus, similem locum obtinebant. In Eur. Antiopa (W 811) Amphion et Zethus matrem postquam auxilium petentem primo domo inscii expulerunt, per pastorem [1]),

[1]) Quo modo pastor rem perspexerit ex fragmentis non elucet. De qua re coniecturas proferunt Wecklein Sitzber. d. bayr. Ak. phil.-hist. Kl. 1878

qui eos educavit, cognoscunt, qua re fit, ut celeriter matrem a crudeli cruciatu Dircae tueantur eamque ipsam illo crudelissimo supplicio afficiant. Simili modo omnes tragoediae compositae sunt, in quibus filii matres postquam cognoverunt liberant[1]: in Eur. Melanippa Captiva (W 850) Boeotus et Aeolus a Neptuno, qui eos genuerat, de genere certiores facti matrem vinculis solvunt; et in eiusdem poetae Hypsipyla si Welckerum (W 558) sequimur Euneos et Thoas matrem cognitam ab Eurydicae ultione tuentur. Welckeri autem sententia labefactari videtur eis Hypsipylae fragmentis quae nuper in Oxyrh. Pap. VI n. 852 edita sunt. Duo fragmenta sunt 60 et 64 in quibus explicandis tota res posita est. In fr. 60 Hypsipylam cum frustra non sibi culpam Archemori mortui tribuendam esse Eurydicae persuadere conata sit, ab Amphiarao auxilium petentem videmus. Quibus precibus obsecutus Amphiaraus Eurydicae copiose demonstrat, quo modo res evenerit. Qua narratione Eurydicam placatam esse Grenfell et Hunt ex eius responso, cuius initium solum servatum est, concludunt (p. 26 sq.) Etiam porro Amphiaraus — ita editores fabulam explanare pergunt — Hypsipylae gratiam beneficii refert, cum filios, quos fabula ineunte advenientes vidimus, ad eam adducit cognitionemque efficit. Qua effecta quantopere Hypsipyla gaudeat, videmus ex initio fragmenti 64, quod *ἀναγνώρισιν* ipsam subsequi manifestum est. Amphiaraus gavisus, quod benificium Hypsipylae reddidit, ad bellum Thebanum proficiscitur (v. 63 sq.). Mater autem et filii ex quibus Euneus loquitur invicem quid antea passi sint narrant. Recte si Grenfell et Hunt fabulae argumentum explicant, *ἀναγνώρισις* in actionem nullam vim habet neque quidquam efficit, nisi ut quam prospere postremo omnes res Hypsipylae eveniant, ostendat. Ita poetam *ἀναγνωρίσει* usum esse, cum viderimus eam semper in tragoediis magni momenti esse et in

vol. 2 p. 173; Graf Die Antiopesage Halle 1884 p. 73. Novis autem fragmentis quae Mahaffy The Flinders-Petrie Papyri Part. 1 Dublin 1891 edidit de cognitione nihil comperimus sed exitus tragoediae traditur. Lycus quem captum fratres necaturi sunt ab Herma servatur, fratres autem regnum suscipiunt. Ad quam tragoediae partem etiam fr. B. quod v. Wilamowitz cum *ἀναγνωρίσει* coniunxit pertinere certum est; cf. Mahaffy p. 3.

[1]) cf. versum quem supra (p. 43) attuli Men. Epitr. 125: *μητέρ' ἐντυχὼν ἐρρύσατο.*

similis argumenti tragoediis semper filios cognitos matrem servare, mihi vix credibile est. Quare crediderim Eurydicam Amphiarai narratione nequaquam placatam esse, quod quominus credamus fragmentum illud (60, v. 112 sq.) non obstat, Amphiaraum autem Euneum et Thoantem, qui quas partes eo usque egerint nescimus [1]), sibi adiutores adscivisse. Qua in re qui iuvenes essent, eum comperisse et ad matrem eos duxisse, quos ut matrem convincerent vitem auream monstravisse, quamquam Gr. et H. negant (p. 82 ad. fr. 765), cogitari potest (W 559) [2]). Cognitione autem facta Amphiaraus discedit. Nam sibi persuasit filios matrem facile servaturos esse. Hypsipylam autem ab Eurydicae ultione nondum tutam esse fortasse ex ultimis verbis v. 66 (fr. 64):

σῴζου δὲ δὴ σὺ τέκνα σῷ δὲ τήνδε μητέρα

concludere possumus, si vim horum verborum augere licet neque credimus esse formulam salutantis Amphiarai, praesertim cum etiam Hypsipylam: *μὴ στέν' ἐπ' εὐτυχίαισιν* (v. 89) contra meam de fabulae compositione sententiam afferri non possint. Nam in *εὐτυχίᾳ* se esse Hypsipyla dicit, quod filios recuperavit, periculi sibi impendentis ut Orestes et Iphigenia vel Menelaus et Helena (cf. p. 36) oblita. Iphigeniae autem et Helenae similiter Hypsipyla composita esse mihi videtur. Haud enim scio an etiam hac in fabula cognati fortunis suis narratis quid sibi faciendum sit deliberent atque exsequantur. Itaque in ea quam Welcker de huius fabulae compositione protulit sententia censeo esse perseverandum. — Iterum duo fratres, Neleus et Pelias, cum matrem cognoscunt, ipsi quoque qua gente nati sint comperiunt [3]), deinde matrem vexatam ulciscuntur in Soph. Tyrone (W 312). Cognitionem autem in puteo factam esse ex imaginibus quae sunt in vasculo et duobus speculis Etruscis discimus [4]). Signum est *σκάφη* quae et in imaginibus illis conspicitur et ab Aristotele (de a. p. 16. 1454b 25) commemoratur. Simili in condicione qua Tyro est Auga Euripidea.

---

[1]) Robert Herm. 44 p. 393/4 adulescentes ab Hypsipyla repulsos, ab Amphiarao in hospitium receptos esse opinatur.

[2]) Robert l. l. p. 398 censet iuvenes vitem auream monstravisse, qua Lycurgum maritum Eurydicae redeuntem convincerent.

[3]) cf. Menandri Epitr. v. 104—116.

[4]) cf. R. Engelmann Archaeol. Studien zu den Tragikern, Berlin 1900, p. 40 sq.

Quin etiam durius eius pater propter partum in eam invehitur, cum eam mari demergi iusserit. Sed quo maius periculum impendet, eo celerius succurritur. Hercules enim ipse, qui eam compressit, puerum expositum invenit et ex anulo, quem ipse Augae illa nocte donavit, addito cognovit. Statim ad Aleum se confert et iniuriam suam confessus — puero et anulo allato vera se narrare eum Aleo persuasisse verisimile est[1]) — Augam morte liberat[2]). Sed multo similior est Tyroni is mythus, qui de Romuli et Remi ortu atque educatione apud Plutarchum (Rom. c. 8), qui Dioclem Peparethium sequitur, et Dionysium Halic. I 77—83, qui Fabii Pictoris vestigia legit, traditus est, quas narrationes a Naevii tragoedia, cui titulus est Romulus vel Alimonia Romuli et Remi[3]) originem ducere, Naevium autem Soph. Tyronem expressisse W. Soltau demonstravit[4]). Tota de Romulo et Remo narratio, geminorum ortus, educatio, *ἀναγνώρισις* cum Soph. Tyrone consentit — singula enarravit Soltau l. l. p. 106/7 — nisi quod hic *ἀναγνώρισις* inter avum et nepotes fit et Numitor iam nobili habitu corporis atque ingenii nepotis movetur, quam rem ex Cyri cognitione (apud Herodotum I 116) sumptam esse Soltau (p. 107/8) monuit. Praeterea etiam hac in fabula ut in Tyrone *ἀναγνωρίσει* efficitur, ut geminorum mater liberetur et is qui per vim expulsus est regnum recuperet. Nihil nisi ut reges regno privati restituantur *ἀναγνώρισις* efficit in Soph. Peleo (W 205) et Eur. Oeneo (W 583)[5]) quibus in fabulis nepotes avos, qui a fratris filiis regno expulsi miseram vitam degere coguntur, cognoscunt et in honores restituunt. *Ἀναγνώρισις* ita fieri videtur, ut nepos avum, ruri conveniat et exquirendo cognoscat, cf. fr. 569 (Nauck):

---

[1]) cf. Wecklein Sitzber. d. bayr. Ak. ph.-hist. Kl. 1890 vol. 1, p. 7.

[2]) v. Wilamowitz, Analecta Euripidea, Berol. 1875 p. 189. Nauck Tr. Gr. fragm. p. 436.

[3]) Non recte Ribbeck (R 63) duas fabulas Lupum et Romulum distinguit.

[4]) W. Soltau Die Enstehung der Romuluslegende. Archiv f. Religionswissenschaft XII p. 105 sq. Id quod hac commentatione evicit, transtulit in liberum quem inscripsit ‚Die Anfänge römischer Geschichtsschreibung' p. 21 sq., ubi qui antea hanc rem aggressi sint adnotat. Inter quos summum locum obtinet Trieber Rh. M. 43, 569. Cf. et P. Kretschmer, Glotta I 299.

[5]) Wecklein l. l. 1890 vol. 1 p. 10 sq.

Diom. *σὺ δ'ὧδ' ἔρημος ξυμμάχων ἀπόλλυσαι;*
Oen. *οἱ μὲν γὰρ οὐκέτ' εἰσίν, οἱ δ'ὄντες κακοί.*

Eadem, si Ribbeckii (R 419) restitutioni credimus, aguntur in Accii Eurysace, qui Sophoclem videtur imitatus esse. Ribbeckius enim *ἀναγνώρισιν* inter Telamonem regno expulsum et Eurysacem nepotem fieri conicit, qui una cum Teucro Telamonem in regnum restituit, Welcker autem (W 197) inter Teucrum Salaminem advenientem et Eurysacem, qui eum rursus patria depellit. Item *ἀναγνώρισις* cum regni restitutione coniuncta est in Eur. Alopa (W 716), ubi Theseus Hippothoo, cum eum Neptuni filium esse a nutrice cognoverit, regnum avitum Cercyonis, quem antea interfecit, reddit.

In eo autem tragodiae argumento, quod Hyg. fab. 72 exhibet, *ἀναγνώρισις* id momentum est, a quo tragoedia initium facit. Nam Creo cum Maeonem, quod ex Draconteo genere omnes in corpore insigne habebant, cognoverit, Haemonem filium imperio suo non paruisse intellegit et hanc iniuriam ulcisci constituit. Hoc autem argumentum, quod Euripidem in Antigona tractavisse Welcker (W 563) censuit, Wecklein[1]) recte posteriori poetae tribuit. Quodsi Theodectem auctorem esse dicit similitudine, quae inter hunc mythum et Theodectis Lynceum (W 1076/7) exsistit, nisus, id parum videtur probasse; Lynceum autem, qua in fabula quo modo Danaus Abantem nepotem cognoverit non constat, priorem tragoediam esse, ad quam poeta in illo Antigonae mytho conformando se applicaverit, ipse quoque credo. Simili modo res *ἀναγνωρίσει* demum implicantur in Eur. Telepho. Nam tum demum postquam advenam illum medelam petentem Telephum regem Mysiae esse apparuit, turbae oriuntur. Valde enim dubitant duces Graeci hosti mederi. Telephus autem ut duces sibi obsequi cogat, Orestem arripit eum se interfecturum esse minitans[2]). Id autem apud Euripidem Telephum non fecisse Wecklein[3])

[1]) Wecklein l. l. 1878 vol. 2 p. 186 sq., cuius viri docti sententiam Huddilston (American Journ. of Archaeol. second series III p. 183—201) refutavisse mihi non videtur, qui Welckeri vestigia secutus Euripidis Antigonam fabula Hygini expressam esse putat. Cf. Vogel Scenen Euripideischer Tragoedien in griechischen Vasengemälden Leipzig 1886 p. 49 sq.

[2]) O. Jahn Telephos und Troilos Kiel 1841 p. 16.

[3]) Wecklein l. l. 1878 vol. 2 p. 198 sq.

mihi persuadere non potuit. Etiam in Soph. Larissaeis (W 352) *ἀναγνώρισις* similem locum occupat. Larissae, quo malum oraculum veritus confugit Acrisius, cum Perseo nepote congreditur et cognito in gratiam redit. Nunc demum vera tragoedia agitur cum videmus, quomodo funestum illud oraculum, quamquam avus et nepos cogniti familiaritate coniuncti sunt, conficiatur. Huic fabulae contrarius est cursus rerum in Sophoclis Aleadibus, quam tragoediam propterea hic afferre liceat. Aleo regi oraculo praedictum erat filios suos a stirpe filiae suae interfectum iri. Quare puerum quem filia peperit exponit. Sed puer servatur; iam adultus hospes ignotus in avi regiam recipitur, regis filios rixa orta obtruncat. Qua caede perpetrata demum Aleus nepotem cognoscit, ut oraculum vera pronuntiavisse iam manifestum sit.

5.
Conspectus *ἀναγνωρίσεων*.

§ 22. Postremo conspectum cognitionum faciamus, ut Aristoteles in a. p. c. 16 fecit. Atque primum quidem de hoc Aristotelis capite agendum est. Quinque autem ille *εἴδη ἀναγνωρίσεως* exemplis additis ita seiunxit, ut ab ea quae pessima esse ei videbatur orsus per *κλίμακα* 'quae dicitur ad optimam pergeret. Est autem *πρώτη ἡ ἀτεχνοτάτη καὶ ᾗ πλείστῃ χρῶνται δι' ἀπορίαν, ἡ διὰ τῶν σημείων*. Sed philosophus quamquam *ἀναγνώρισιν* signis factam pessimam esse arbitratur, concedit poetas signis melius aut peius uti posse, peius, si quis alterum signis quis ipse sit convincere vult, melius si *ἀναγνώρισις* de improviso atque subito fit: *εἰσὶ γὰρ αἱ μὲν πίστεως ἕνεκα ἀτεχνότεραι καὶ αἱ τοιαῦται πᾶσαι, αἱ δὲ ἐκ περιπετείας βελτίους*. Exemplum affert ex Odyssea. Ubi enim inter Ulixem et Eurycliam *ἀναγνώρισις* fit (τ 349 sq.), melius signum adhibitum esse censet, quod forte pedes domini lavans cicatricem conspicit *(ἐκ περιπετείας)*, peius, ubi cognitio fit inter Ulixem et pastores (φ 188 sq.), cum Ulixes ut eis persuadeat se esse Ulixem cicatricem ostendat *(πίστεως ἕνεκα)*. Rectissime autem Aristoteles iudicavit. Neque tamen adhibendum est hoc iudicium, si in *ἀναγνωρίσει* in duas partes divisa altera pars *πίστεως ἕνεκα* fit. Nam apparet priorem modo partem *ἐκ περιπετείας* fieri posse, alteram semper *πίστεως ἕνεκα* agi necesse est. *Δεύτεραι δὲ* sunt *αἱ πεποιημέναι ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ, διὸ ἄτεχνοι.* Cuius generis exemplum

affert praeter Soph. Tereum *(τὴν τῆς κερκίδος φωνήν)* Eur. Iph. Taur. Cum priorem partem *ἀναγνωρίσεως* summis laudibus efferat (infra 1455 a 16), alteram hoc loco vituperat: *ἐκεῖνος δὲ αὐτὸς* (Orestes) *λέγει, ἃ βούλεται ὁ ποιητὴς ἀλλ' οὐχ ὁ μῦθος. διὸ ἐγγύς τι τῆς εἰρημένης ἁμαρτίας ἐστίν, ἐξῆν γὰρ ἂν ἔνια καὶ ἐνεγκεῖν.* Quae verba optime Vahlen[1]) explicavit: *sunt autem hae fictae a poeta agnitiones ἄτεχνοι potius quam ἔντεχνοι, quia non ex actionis decursu ultro oriuntur, verum a poeta libere et seorsum a fabulae necessitate finguntur: parum enim ita distant ab eis agnitionibus quibus qui cognoscuntur notis quibusdam quas gerunt produntur.* Peiori autem ex eis quae signis fiunt cognitionibus hoc genus simillimum esse addendum est. Itaque ne huius quidem secundi generis *ἀναγνωρίσεις* recte reprehenduntur, si altera pars bipartitae *ἀναγνωρίσεως* est *πεποιημένη.* Qua re non iure Orestem qui sororem convincit vituperatum esse censeo. Sed omnino si id quod traditum est servamus, hoc *εἶδος* a ceteris parum distinxisse philosophus mihi videtur, quoniam omnes *ἀναγνωρίσεως* condiciones a poeta fictae sunt. Hac de causa Susemihl[1a]) vehementer Aristotelem vituperavit. Contra A. Gercke, qui benigne de hac re mecum collocutus est, in verbis *ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ* haeret: aut enim interpolata ea esse suspicatur aut Aristotelem aliquid addidisse velut (*πεποιημένας*) *παραυτίκα* conicit; *πεποιημένας* enim ‚factas‘ vel ‚fictas‘ (scil. a poeta) esse constat[1b]). Nunc *διὸ ἄτεχνοι* nimis obscura leguntur. Nimirum hoc genus nisi quod signa desunt non differt a peiore forma primi generis, id quod Aristotelis verba indicant. Sequitur autem *ἡ τρίτη διὰ μνήμης.* Cuius generis exemplum est *Κύπριοι* tragoedia Dicaeogenis, in qua Eurysaces Teucrum in patriam redeuntem cognoscit, cum hic patris imaginem conspiciens lacrimas retinere non possit (W 203, 1045)[2]). Alterum exemplum est Ulixes, qui a Phaeaci-

[1]) Aristotelis de arte poetica liber 1885³ p. 178.

[1a]) Rh. M. 26 p. 458.

[1b]) cf. Vahlen Beiträge zu Ar. Poet. III 316 (Sitz.-Ber. Wien. Ak. phil.-hist. Kl. L II).

[2]) Hoc loco quis non reminiscitur Caroli Moori praedonis in Schilleri dramate ‚Die Räuber,‘ qui ubi patris imaginem conspexit, lacrimat, sed ab Amalia non cognoscitur (IV 2). Ne Daniel quidem senex ille famulus eum cognoscit; sed a Francisco, qui conscientia scelerum vexatus illum virum

bus cognoscitur, quod eius animus, cum res a se gestas carmine laudari audiat, vehementer commovetur. Deinde quartum *εἶδος* affertur, *τετάρτη δὲ ἡ ἐκ συλλογισμοῦ,* quam vocem hoc loco idem significare quod in disciplina logica A. Gercke me monuit. Nam id quod universe concludere dicimus nulla in cognitione non fit. Exemplis autem Aristoteles utitur notissima illa ratiocinatione Electrae in Choeph. 172—178 et Polyidis tragoedia Iphigenia Taurica, quam ex hoc loco et c. 17. 1455 b 10 novimus. Hoc loco legimus: *εἰκὸς γὰρ τὸν Ὀρέστην συλλογίσασθαι, ὅτι ἡ τ' ἀδελφὴ ἐτύθη καὶ αὐτῷ συμβαίνει θύεσθαι.* Quibus ex verbis Iphigenia eum qui loquitur fratrem esse intellegit[1]). De Theodectis Tydeo et Phinidis, quas fabulas Aristoteles deinde commemorat, nihil concludi potest, neque magis de Ulixe qui vocatur *ψευδάγγελος,* in qua *ἀναγνώρισιν* singulari modo ratiocinandi factam esse tradit. Hoc autem *εἶδος* si poetae artem respicit secundum iudicat: *δεύτεραι δὲ αἱ ἐκ συλλογισμοῦ.* Sed omnium optimum quintum genus esse existimat: *πασῶν δὲ βελτίστη ἀναγνώρισις ἡ ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων τῆς ἐκπλήξεως γιγνομένης δι' εἰκότων, οἷον ἐν τῷ Σοφοκλέους Οἰδίποδι καὶ τῇ Ἰφιγενείᾳ· εἰκὸς γὰρ βούλεσθαι ἐπιθεῖναι γράμματα. αἱ γὰρ τοιαῦται μόναι ἄνευ τῶν πεποιημένων σημείων καὶ περιδεραίων.* Contrarium igitur hoc optimum genus est primo et secundo, quae genera inter se cohaerere modo vidimus. Qua re Vahlen ubi secundum genus explicuit, simul hoc *εἶδος* quale esset monstravit. Huius enim generis cognitiones *ex actionis decursu ultro oriuntur* velut in Soph. Oed. et Eur. Iph. Taur. Ad hunc autem locum addit (l. l. p. 183): *hae ἀναγνωρίσεις per se solae sunt sine illis extrinsecus adminiculis ascitis. Et haec quidem sic universe significantur verbis. τῶν πεποιημένων σημείων καὶ περιδεραίων quoniam ea nunc non attinebat singillatim per suas species referre.* Aristoteles

---

fratrem suum esse suspicatur, Caroli memoria excitatur. Nunc demum Daniel praesertim cum cicatricem in manu viderit, Carolum cognoscit (IV 3). Recte se ipse increpat: *Dummer Tölpel ich, daß Euch nicht gleich* . . . e. q. s. Quanto celerius paedagogi apud antiquos poetas rem perspiciunt!

[1]) Rursus ex Schilleri dramatibus similem *ἀναγνώρισιν* afferre possumus. In eo enim dramate quod Turandot inscribitur Timur, ubi filium a mercennariis abduci videt, dolore commotus *Kalaf! Kalaf!* exclamat, quibus ex vocibus Barak erum suum cognoscit.

igitur in cognitionibus describendis artis rationem habuit[1]). Ἀναγνωρίσεις signis factas quae sunt in primo genere nimis contempsisse mihi videtur. Secundum autem genus si coniectura desistimus dubium est. Tertium et quartum ἀναγνωρίσεις quae satis raro occurrunt continent. Quintum vero εἶδος quin optimum sit nemo dubitabit.

§ 23. Sed cum difficile sit omnes quas tractavimus ἀναγνωρίσεις Aristotelis κλίμακι inserere, nobis conspectum facientibus alia via temptanda est. Ita autem si ordinem instituimus, ut qua re ἀναγνώρισις fiat quaeramus, in priore genere eae cognitiones ponendae sunt quae signis fiunt quibus in distribuendis Aristotelem sequimur: *ἡ διὰ σημείων τούτων τὰ μὲν*

a) *σύμφυτα σημεῖα οἷον λόγχην ἣν φοροῦσι Γηγενεῖς.* Significat autem Aristoteles eos qui ex Cadmi satu draconteorum dentium exorti sunt. Quod signum adhibitum est in Antigona illa recentioris aetatis tragoedia. — *ἢ ἀστέρας οἵους ἐν τῷ Θυέστῃ Καρκίνος.* Apud Carcinum Thyestes aliter atque in Soph. Atreo et Eur. Thyeste ignotus veste mutata ad aram videtur accessisse, sed stellae illius ope in umero affixae cognitus esse (W 1063)[2]).

b) *τὰ δὲ ἐπίκτητα καὶ τούτων*

1. *τὰ μὲν ἐν τῷ σώματι, οἷον οὐλαί*[3]).

---

[1]) cf. G. Freytag Die Technik des Dramas p. 92: *Bei Aristoteles mag man nachlesen, wie wichtig den Griechen die Umstände waren, durch welche die Erkennung veranlaßt wurde, sie werden von dem großen Philosophen genau nach ihrem inneren Wert abgewogen und geschätzt. Und es macht fröhlich zu sehen, daß auch schon dem Griechen nicht zufällige äußere Merkmale für kunstgemäße Motive galten, sondern innere Bezüge zwischen den Erkennenden, welche sich ungezwungen und charakteristisch für beide in der Gesprächscene offenbarten.*

[2]) Eodem signo, stellis quae sunt in lacerto dextro Goethium in Iph. usum esse supra (p. 22 adn. 3) commemoravimus. Iterum Goethe — praeter torquem aureum — notam ingenitam adhibuit in Elpenore, naevum fulvum in cervice (I, 6).

[3]) Saepissime revera talia signa ad personas discernendas adhibita esse nunc ex Oxyrh. papyris videre possumus; e. gr. cf. vol. IV n. 722, ubi omnes quae manumissioni servae intersunt personae accurate describuntur. Serva ipsa habet *οὐλὴν ποδὶ δεξιῷ,* reliqui *μετώπῳ μέσῳ, ὑπὲρ γόνυ δεξιόν, ἀντικνημίῳ.* Tali signo si quis caret, id verbo *ἄσημος* nuncupari solet (cf. VI, 906, 10) De aliis exemplis cf. indices sub *οὐλή.* Omnes autem varii generis syngraphas, in quibus personae describuntur, collegit J. Fürst,

Ex cicatricibus *ἀναγνώρισιν* fieri vidimus in Oedipodis tragoediis, Eur. Electra, Soph. Ulixes *ἀκανθ.*, Pacuvii Niptris, Plauti Poenulo.

2. *τὰ δὲ ἐκτός, τὰ περιδέραια καὶ οἷον ἐν τῇ Τυροῖ διὰ τῆς σκάφης.*

Cista cum crepundiis aliisque rebus *γνώρισμα* est in Soph. Tyrone, Eur. Ione, Ennii Alexandro, Pacuvii Romulo, Menandri Peric., Plauti Cist. Rud., Terentii Eun.;

vestis in Aesch. Choeph et Eur. Alopa.

anulus in Soph. Electra, Eur. Auga, Pacuv. Atalanta, Menandri Epitr., Plauti Curc., Terentii Hec. Heaut.;

denique gladius in Soph. Thyeste et Eur. Aegeo.

Cum in priore genere eas *ἀναγνωρίσεις* numeraverimus quae signis fiunt, alterum genus ex iis quae sine signis efficiuntur constare dicimus. Quo in genere eae discerni possunt, quae ita fiunt, ut tertius homo, qui alterum eorum inter quos *ἀναγνώρισις* fit novit, cum altero communicet, quis ille sit, unde hic illum cognoscit. Tales partes agunt in Oedipodis tragoediis illi duo pastores et in Eur. Electra paedagogus, qui ut rem certissimam reddant ad signum recurrunt. Eiusmodi autem subsidium deest in Soph. Chryse, Alete, in Eur. Cresph., Alexandro, Alcmeone[1]), Antiopa, in Plauti Epid., Capt., Menachmis, Poen., in Terentii Andr. Phorm. Etiam in Clerumenis Diphili *ἀναγνώρισιν* per tertium hominem factam esse ex Plautinae Casinae prologo (v. 37 sq.) concludi potest, per eum scilicet servum, qui puellam sustulit.

Restant in illo altero genere eae agnitiones, quae colloquio vel verbis eorum qui ignoti congrediuntur ipsorum fiunt. Haec verba aut de industria ab altero proferuntur, ut exquirat, quis alter sit: in Eur. Helena, quamquam nuntii narratione rem confirmari opus est, in Soph. Peleo et Eur. Oeneo, in priore cognitione Epidici Plautinae; aut ab iis qui quocum colloquantur vel a quo audian-

---

Die Personalbeschreibungen im Dictysbericht, Philol. XV (1902) p. 597 sq. Cur autem creberrimae cicatrices apud antiquos fuerint facile intellegimus, si quae vestimenta habuerint meminimus.

[1]) Per servum qui puellam ad patrem duxerit *ἀναγνώρισιν* factam esse cogitari potest (W 582), quamquam certi aliquid proferri non potest: cf. v. Wilamowitz de trag. Graec. fragm. ind schol. Goetting. 1893 p.12.

tur nesciunt velut ab Iphigenia Euripidea, quae quid epistula contineat dicit, et ab Oreste in Polyidis Iphig. et ab Electra in illis tribus tragoediis, quibus ex verbis Orestes mulierem loquentem sororem suam esse intellegit. Ad hanc partem etiam ea *ἀναγνώρισις* pertinet, quae ab Aristotele *ἡ τρίτη διὰ μνήμης* appellata est.

Caput II.
Unde nata sit *ἀναγνώρισις* et quomodo eius usus increbrescat.

1.
Quo modo usus mutetur in poesi dramatica.

§ 24. Priore capite cum res quae ad *ἀναγνώρισιν* pertinent, ita tractaverimus, ut qua arte *ἀναγνωρίσεις* compositae essent eluceret nulla ratione poetarum quales fuerint et quo tempore fabulas fecerint habita, nunc consideremus, quid ex hoc capite sequatur, si fabulas ut succedunt tempore contemplamur. Prius autem genus fabularum est tragoedia. In ea quamquam omnes fere *ἀναγνωρίσεις* eodem bipartito modo compositae sunt, tamen quomodo usus huius artificii mutetur animadverti potest. Primam autem in tragoediis *ἀναγνώρισιν* invenimus in Aesch. Choeph. Eadem una nobis ostendit, quo modo Aeschylus cognitione usus sit, quamquam saepius eum *ἀναγνώρισιν* adhibuisse ut credamus, suadent hi tituli: Oedipus, Penelope, Telephus. *'Αναγνώρισις* autem iam in Choeph. summa arte composita est. Exposuimus quo modo primo Orestes Electram cognoscat, quante spe Electra ante *ἀναγνώρισιν* ipsam affecta sit, quam non Oresti credat nisi certo signo convicta. Sed tamen scaena satis brevis est, cuius stichomythia decem solum versus explet. Et postquam Orestes decem versibus Electram credere nolentem convicit, sequitur brevis salutatio Electrae undecim trimetris, non versibus lyricis composita. Deinde poeta ad graviorem tragoediae partem transit, ultionem Agamemnonis.

Sophocles autem scaenae artem et eius in fabula vim auxit. In Electra enim etsi altera pars *ἀναγνωρίσεως* simplicior est quam apud Aeschylum, quod Electra Oresti statim credit, tamen *ἀναγνώρισις* magis eminet, cum poeta omnes res ad *ἀναγνώρισιν*

rettulerit et animos personarum et spectatorum ante *ἀναγνώρισιν* et postea effusis vocibus Electrae laetantis vehementer commoverit. Etiam magis *ἀναγνώρισις* eminet in Oed. R., quae tragoedia ante Electram ponitur. Aliter autem atque in ceteris tragoediis hic *ἀναγνώρισις* fit, per duos pastores qui utrique personae rem explicant. Idem Sophocles primus ubi animi vehementius commoventur hemistichia adhibuit (p. 39).

Item ac Sophocles animos ante *ἀναγνώρισιν* excitavit Euripides in Ione, Iph. Tau., Electra — ita tragoedias se excipere Dieterich[1]) sibi persuasit — novo artificio, cum homines inter quos *ἀναγνώρισις* fit antea frustra congredientes faceret (p. 12). Et semper post *ἀναγνώρισιν* lyricos modos adhibuit. In altera autem parte *ἀναγνωρίσεως* fingenda Aeschylum secutus est, sed scaenam longiorem fecit. Quem locum in tota fabula *ἀναγνώρισις* apud Euripidem occupet si respicimus, in Ione *ἀναγνώρισις* omnia solvit (p. 40), ceteris in tragoediis actionem promovet, quam duplicem vim *ἀναγνώρισιν* in tragoediis habere vidimus. Animadvertendum autem est eas tragoedias Euripidis, in quibus *ἀναγνωρίσεις* insunt, eodem fere temporis spatio compositas esse. Iph. Taur., Electra, Helena (412) tempore se excipiunt, Ion paulo anteit (inter annos 421 et 413). Haec tragoedia cum in eis numeranda sit, quae rem publicam attingunt et patriam laudibus efferunt, ceterae ad id genus tragoediarum pertinent, quas Dieterich[2]) *bürgerliches Schauspiel, phantastisches Rührstück* appellat. Eiusdem generis etiam multae earum tragoediarum esse videntur, quarum fragmenta tantum servata sunt: Oedipus, Alexander (415), Antiopa, Hypsipyla (408), Melanippa, Alcmeo (406), Auga (inter a. 415 et 405). Qua re quamquam *ἀναγνώρισις* etiam in tragoediis pristinae aetatis invenitur, ut in Telepho (438), Aegeo, Dictye (431), Ione, tamen concludendum est in eis tragoediis, quas nos *bürgerliches Schauspiel* appellare possumus, *ἀναγνωρίσεις* saepissime adhibitas esse. Ex his autem tragoediis elucet, quam saepe Euripides cognitione usus sit, qua re commotus qui Euripidis vitam scripsit eum *ἀναγνωρισμόν* invenisse dicit (Vit. Eur. l. 9 Schw.). Sed non minus crebrae sunt *ἀναγνωρίσεις* apud Sophoclem. Athenienses

[1]) in Pauly-Wissowa R. E. VI 1259—61. Electram ante Iph. T. ponit Steiger Phil. 67 p. 232 sq.

[2]) l. l. VI 1270.

enim cognitionibus magnopere delectatos esse apparet. Cui desiderio populi uterque poeta favit. Apud utrumque etiam eundem rerum nexum videmus: fabulas, in quibus *ἀναγνώρισις* in summo discrimine fit, uterque composuit (p. 19 sq.), item eas in quibus cognitione facta matres liberantur (p. 45 sq.) vel avi in regnum restituuntur (p. 48). Qua in re uter alterum incitaverit aut secutus sit, dictu est difficillimum.

Ii autem, qui post illos tres poetas tragoedias composuerunt, cum plerumque eodem argumento usi sint[1]), etiam *ἀναγνώρισιν* adhibuerunt; cuius rei testimonio sint nonnulli tituli: Meleti Oedipodia; Agathonis Telephus Alcmeo; Nicomachi Alexander, Alcmeo, Myri, Oedipus; Apollodori Ulixes *ἀκανθοπλήξ* et *τεκνοκτόνος*; Carcini Oedipus, Thyestes; Theodectis Oed., Alcmeo, Lynceus, Tydeus. Qui poetae nonnumquam traditi argumenti formam mutaverunt, ut Polyidus in Iph. Taur. novam *ἀναγνώρισιν* invenit (p. 52) vel Astydamas in Alcmeone *ἀναγνώρισιν*, quae antea non in argumento erat, addidit (p. 21). Idem fecit poeta ille qui Antigonae mythum novavit (p. 49 sq.). Et recte Wecklein[2]) Hygini loco[3]) de cognitione allato dicit: *Denn daraus erkennt man deutlich, daß die neue Gestalt für die dramatischen Zwecke der ἀναγνώρισις erfunden ist. Wie die modernen Dichter zu ihrem Stoff eine Liebe erfinden, so braucht der spätere griechische Tragiker eine Erkennung*[4]).

Tragoedia autem Romana cum Graeco argumento etiam *ἀναγνώρισιν* recepit. De eis cognitionibus raro plus scimus quam quibus in tragoediis adhibitae sint. Nominari possunt Livii Andronici Teucer; Naevii Iphigenia, Romulus; Ennii Alexander (Eur. p. 21) Telephus (Eur.), Thyestes (cuius exemplar incertum est cf. R 199); Pacuvii Teucer (Soph.), Ilione (p. 22), Dulorestes, qua in fabula Orestem Iphigeniam Tauris liberare Welcker censet (W 1159), O Jahn[5]) autem, quem Ribbeck sequitur (R 239) Orestem Argum

[1]) cf. Aristot. poet. 13, 1453 a 18.

[2]) Sitzb. d. bayr. Ak. ph.-hist. Kl. 1878 vol. 2 p. 190.

[3]) fab. 72 *hunc Creon rex, quod ex draconteo genere omnes in corpore insigne habebant, cognovit.*

[4]) cf. G. Freytag l. l. p. 91: *Und da die griechische Bühne unsere Liebesscenen nicht kannte, so nahmen sie eine ähnliche Stellung ein* (die Erkennungen).

[5]) Hermes II 229 sq. Idem sentit v. Wilamowitz Hermes II, 235.

redeuntem Agamemnonem ulcisci, Chryses (Soph.), Niptra (Soph.), Antiopa (Eur.), Atalanta (p. 23 sq.), Medus (p. 21); Accii Eurysaces (Soph. p. 49), Pelopidae (Soph. Thyestes), Agamemnonidae (cuius fabulae exemplar Soph. Aletem esse Ribbeck p. 469 credit).

§ 25. Eodem tempore quo tragoedia Attica ea quae *ἀρχαία* dicitur comoedia floret[1]). In ea vera *ἀναγνώρισις* non invenitur. Nam ab ea comoedia, quae instituta rei publicae moresque civium irridet, aliena est. Deinde haec comoedia plerumque compositionem unum finem petentem non habet, quae si deest vera *ἀναγνώρισις* fieri vix potest[2]). Antiqua igitur comoedia *ἀναγνωρίσει* non usa videtur esse nisi eis locis, quibus tragoediam per parodiam expressit. Talem *ἀναγνώρισιν* habemus in Aristophanis Thesm. 850 sq., ubi poeta Eur. Helenae *ἀναγνώρισιν* in ridiculum deflexit et in Equitibus 1232 sq., qua in comoedia similiter atque in Eur. Ione Xuthus Ionem Cleon ex oraculo sibi dato eum cognoscit, cui principatu cedere debet. Tales *ἀναγνωρίσεις* haud scio an infuerint in Theopompi Ulixe, Philyllii Aegeo et Auga, Polyzeli Niptris aliisque comoediis, quibus poetae tragoedias illuserunt. Sed antiquam tragoediam bello Peloponnesiaco confecto paulatim obmutuisse constat. Iam Aristophanem ipsum senem magis formae, quam nova comoedia habet appropinquavisse et ex Pluto intellegimus et in vita XI traditum est: *ἔγραψε Κώκαλον ἐν ᾧ εἰσάγει φθορὰν καὶ ἀναγνωρισμὸν παὶ τἄλλα πάντα ἃ ἐζήλωσε Μένανδρος.*

Menandri autem comoedia vel omnino *νέα κωμῳδία* quae vocatur tragoediae Euripideae succedit, cum id perficiat, quod tragoediae non contigit, ut a mytho argumentum fabulae solvatur. Habemus igitur id genus quod nos ‚bürgerliches Schauspiel' dicimus perfectum. Ex tragoediis autem, si *ἀναγνώρισιν* respicimus comoediae proxima est Eur. Auga. Hercules qui Auga oppressa ex anulo filium suum expositum et matrem pueri cognoscit, si Augam in matrimonium duceret, haberemus comoediam eiusdem fere argumenti, quod Menandri Epitr. praebent. Tragoediae species nulla alia re servata est, nisi quod pater Augam crudelissime pu-

[1]) Epicharmus poeta Siculus, utrum *ἀναγνώρισιν* adhibuerit necne ex reliquiis non elucet.

[2]) cf. Leo Plaut. Forsch. 142: ‘die alte Komödie verwendet überhaupt noch keine künstlichen Mittel dramatischen Aufbaues’.

niturus est. Menandrum autem Eur. Augam ante oculos habuisse ex Epitr. v. 525 sq. apparet, ubi unus ex ea tragoedia versus clarissimus citatur[1]). Etiam Eur. Alcmeon *ὁ διὰ Κορίνθου* nonnulla cum comoedia communia habet[2]). Creontis uxor verita, ne maritus in amores pulchrae virginis domi educatae incidat (cf. Diphili *Κληρουμένους* i. e. Plauti Casinam) virginem vendit. Quam emit inscius Alcmeo pater, ut puella patris domi serviat (cf. Menandri Heroa, Plauti Captivos Vidulariam). Ex comoediis autem tragoediae proxima est praeter Epitr. Menandri Periceiromena. Nam *ἀναγνώρισιν* totam tragoediae poeta adaptavit, cum et tragicis verbis uteretur (v. 379.80) et versum tragico modo fingeret[3]). Qua re Koerte concludit Menandrum id fecisse, cum sibi conscius fuerit se tragico artificio uti. Nos adicere possumus hanc comoediam in antiquissimis Menandri numerandam esse. Neque enim dubitandum est, quin aliis in fabulis *ἀναγνώρισιν* minus a comoediae indole alienam finxerit, cum in eis comoediis, quas Romani expresserunt, semper *ἀναγνώρισις* alacriore sermone agatur. Quodsi tragoedia et comoedia ita inter se cohaerent, ut haec illam excipiat atque continuet, non miramur, quod *ἀναγνώρισις* in comoediis etiam saepius adhibita est quam in tragoediis neque quod *ἀναγνωρίσεις* ipsae eadem ratione compositae sunt. Id inde apparet, quod in omnibus quae seiunximus generibus et tragoediae et comoediae numerandae fuerunt. Sed tamen nonnullae differentiae inter tragoedias et comoedias notandae sunt. Ea ipsa re, qua in Peric. *ἀναγνώρισις* tragoediam attingit, sermone ceteras omnes comoedias a tragoediis differre iam satis ostendimus (p. 39 sq.). Accedunt alia: In comoediis praeter eos qui se cognoscunt saepe alii dialogo intersunt (p. 40). In tragoediis autem plerumque solum ii duo homines inter quos *ἀναγνώρισις* fit rem agunt, et ubi tertius inducitur, is est qui *ἀναγνώρισιν* efficit, ut in Eur. Electra senex. Sed tamen plerumque duo inter se colloquuntur, tertius mutus colloquium ceterorum audit. Similiter res se habet, ubi Oedipus cum duobus pastoribus sermonem confert. Sed comoedia etiam novam *ἀναγνωρίσεως* compositionem

---

[1]) cf. v. Wilamowitz, Neue Jahrb. 1908 p. 49 adn. 1.

[2]) cf. W. II 580.

[3]) cf. Koerte l. l. 169|170; p. 39 huius commentationis.

invenit: alter qui cognoscitur non in scaenam prodit. (p. 31 sq.). Et quod ad vim *ἀναγνωρίσεως* pertinet, in comoediis *ἀναγνώρισιν* semper fere omnia solvere, bis partem graviorem fabulae (Capt. Heaut. p. 44), bis id quod nunquam in tragoedia invenitur, nihil fere ad actionem fabulae conferre vidimus (dico priorem *ἀναγν.* in Epid. p. 44 et in Poen p. 41). Nulla autem in comoedia[1] *ἀναγνωρίσει* actio ita promovetur ut in Choeph, Electra, aliisque tragoediis (p. 45 sq.). Denique cum expositio pueri in utroque genere inveniatur, solum in tragoedia accidit, ut puer educandus hospiti tradatur, et solum in comoediis, ut pueri parentibus rapiantur.

Singuli autem poetae novae comoediae quo modo in cognitione adhibenda inter se differant, cum statuere conamur, haec eruimus. Menander quin maxime *ἀναγνώρισιν* excoluerit non dubium est[2]. Nam in novem ex quattuordecim quas novimus fabulis cognitione usus est: Epitr. Peric. Heroe Georgo Cist. Poen.? (Plauti), Andria Eun. Heaut. (Terentii). Ad tragoediam imprimis Euripideam eum se applicavisse in Epitr. et Peric. supra ostendimus. Accedit quod solus matrum curam atque amorem a comicis reliquis alienam ex tragoedia in Cist. et Heaut. transtulit (p. 37). Idem Menander novam illam de qua supra dixi *ἀναγνωρίσεως* compositionem videtur invenisse: alter enim qui cognoscitur in scaenam non prodit in Epitr. Cist. Andr. Heaut. Eun. (p. 31 sq.). Reliquae autem fabulae, in quibus alter scaenam non init, quantum scimus, sunt Phormio et Hecyra Apollodori, quem Menandri vestigia legisse credo (cf. de Hecyra p. 34 sq. de Phorm. p. 42). Diphilum autem in Rudente et fortasse in Vidularia fabula similis argumenti in *ἀναγνωρίσεως* compositione Euripidem secutum esse supra (p. 26) vidimus. Cum etiam Casina tertia earum quas novimus fabularum Diphili in *ἀναγνώρισιν* excurrat, recte affirmare possumus etiam Diphilum hoc artificium in deliciis habuisse. Contra Philemonis tres

---

[1]) In Heaut. etsi Syrus in fallaciis in erum struendis *ἀναγνωρίσει* utitur, tamen *ἀναγν.* non tam necessaria ad actionem conficiendam esse mihi videtur quam in tragoediis. Nam si *ἀναγνώρισις* non facta esset, fortasse ad alium dolum confugisset. Nunc vero eum, cum Clitiphonem adiuvare velit, *ἀναγνώρισιν* ut omnes res in suum usum convertere consentaneum est.

[2]) cf. Leo Plaut. F. 143: *Gewiß war es Menander, der der ἀναγνώρισις die bevorzugte Stellung gegeben hat.* Vide et illum locum Aristophanis vitae quem supra (p. 58) exscripsi.

fabulas cognitione carere iure Leo[1]) monuit. Omnino eum rarissime *ἀναγνώρισιν* adhibuisse Dietze[2]) demonstravit. Reliquae autem fabulae Plautinae (Capt. Curc. Epid. Men.) cuius Graeci poetae comoedias exprimant ex cognitionibus conicere non audeo.

Cum nova autem comoedia ut multa artificia[3]) ita *ἀναγνωρισμὸν* communem habet id genus fabularum quod nos ‚Roman' appellamus. Semper enim duo homines, quorum alter alterum amat separantur, deinde variis periculis perfuncti coniunguntur[4]) saepe cognitione facta, ut in Xenophontis Ephesiacis, in historia Apollonii regis Tyri, in Charitonis fabula. Liberi a patribus cognoscuntur in Iamblichi Syriacis, Heliodori Aethiopicis, Longi fabula. Hac in fabula et in Aethiopicis liberi signis additis expositi sunt. Sed quam inepte apud Xenophontem et in historia Apollonii *ἀναγνώρισις* composita sit, Rohde l. l. p. 412 reprehendit.

Videmus igitur, si fabulas Graecas perlustramus, *ἀναγνωρίσεως* vim semper augeri. Iam in tragoediis magis atque magis adhibetur, maxime autem in comoediis in usum venit, e quibus in eas fabulas quas nos Roman appellamus transit. Est autem artificium aptissimum ad actionem solvendam vel promovendam et spectatorum animos excitandos et omnes affectus eliciendos. Quare recte dicit G. Freytag (l. l. p. 91): *Solche Scenen gaben dem antiken Dichter eine willkommene Gelegenheit zur Darstellung von Gegensätzen der Empfindung und zu beliebten pathetischen Ausführungen, in welchen das heftig erregte Gefühl in langen Wellen ausströmte.* Saepe autem cum poetae *ἀναγνώρισιν* adhibere vellent, sequebatur, ut varias formas cognitionis invenirent.

2.

Unde *ἀναγνώρισις* in dramata pervenerit.

§ 26. Sed unde poetae hoc artificium in dramata arcessiverunt? Id quaerentibus nobis statim in mentem venit in carminibus epicis *ἀναγνωρίσεις* iam fieri. In Iliade unum exemplum exstat. Diomedes enim Glaucum, qui eum aggressurus est, hospitem suum esse, cum hic de genere suo verba faciat, cognoscit, qua re donis

---

1) Plaut. Forsch. p. 143.

2) De Philemone comico diss. Gotting. 1901 p. 22 sq. 29.

3) E. Rohde, Der griechische Roman Leipzig 1876 p. 351.

4) p. 171.

mutatis amici discedunt (Z 119 sq.). Plenam autem *ἀναγνωρίσεων* Odysseam esse nemo nescit. Ea re Homeri carmina inter se differe iam Aristoteles (poet. 24, 1459 b 13) animadvertit: *καὶ γὰρ καὶ τῶν ποιημάτων ἑκάτερον συνέστηκεν ἡ μὲν Ἰλιὰς ἁπλοῦν καὶ παθητικόν, ἡ δὲ Ὀδύσσεια πεπλεγμένον, ἀναγνώρισις γὰρ διόλου καὶ ἠθική.* Omnes autem in Odyssea *ἀναγνωρίσεις* simplices sunt, cum Ulixes semper noverit, cui obyius fiat. Primo domi Eumaei iussu Minervae, quae mendici habitum ei ademit, Telemacho eam mutationem miranti dicit, quis sit (*π* 187 sq.). Telemachus autem patri non credit, quod quo modo ex mendico homo regali habitu subito factus sit, non intellegit. A patre autem certior factus Minervam id fecisse, una cum patre gaudio motus lacrimat. Deinde quo modo domus in suam potestatem redigatur, consilium ineunt. Habemus igitur iam hic eandem *ἀναγνωρίσεως* formam atque in dramatis: alter confitetur, quis sit, alter dubitat, dum ab illo convincitur, deinde ambo gaudent et quid nunc coniuncti faciant, deliberant. Similiter Ulixes ipse brevi ante caedem procorum quis sit duobus illis pastoribus dicit, quibus ne dubitent statim cicatricem monstrat (*πίστεως ἕνεκα* cf. p. 50). Melius antea (*τ* 349—502) inter Ulixem et Eurycliam cicatrice *ἀναγνώρισιν* fieri Aristoteles iudicavit (cf. p. 50). Euryclia advenam lavare iussa miratur figuram vocem pedes eius Ulixi similes esse (v. 381), cum lavet, videt cicatricem, cuius subito aspectu quantopere percutiatur optime describitur (v. 467—73). Denique Ulixem alloquitur (v. 474) et statim Penelopae, cuius animum Athena ita averterat, ut *ἀναγνώρισιν* non observaret, iucundum nuntium afferre vult, sed ab eo prohibetur, qui Penelopam non prius certiorem fieri cupit quam domum a procis liberaverit[1]). Haec autem *ἀναγνώρισις*, si id quod poeta epicus de cicatrice in venatione accepta narrat (v. 393—464) excipimus, egregia arte dramatica composita est. *Ἀναγνώρισις* igitur inter Ulixem et Penelopam post caedem procorum fit

[1]) Primitus *ἀναγνώρισιν* non ita factam esse, sed Penelopam et ipsam accurrisse maritumque cognovisse et salutavisse Kayser probavit, atque hanc vetustiorem *ἀναγνώρισιν* ex alio carmine (Telegonia scilicet) dicitur in Odysseam translatam esse A. Gercke Neue Jahrb. XV (1905) 319 sqq. coniecit, qui Kayseri et v. Wilamowitzii (Homer. Untersuchgn. p. 55) studia continuavit.

(ψ 1—255). Euryclia Penelopae nuntiat Ulixem advenisse et procos interfecisse. Sed quamquam mariti adventus ei praedictus est (τ 270 sq., 300 sq. v. 85—90), maritum adesse non credit, ne tum quidem cum Ulixes ipse advenit, neque prius dubitatione desistit quam Ulixem rursus obvium factum, sed regali habitu veste mendici abiecta experta est. Adducit enim eum, ut lectum iugalem describat (v. 183—204). Quo recte descripto sibi persuadet maritum suum eum esse et cum lacrimis amplectitur (205 sq.). Hae Penelopae dubitationes nimis longae cum Electra Euripidea comparari possunt et hortationes Telemachi cum paedagogo. Iterum videmus alterum non prius credere quam aliqua re convincitur in ultima cognitione inter Laertem et Ulixem (ω 205—350). Qui cum patrem experiri velit, utrum filium cognoscat necne, Telemachum et ministros ad sacra facienda dimittit. Statim intellegimus de composito rem ita institui, ut *ἀναγνώρισις*, quam poeta nimis videtur amavisse, fieri possit. Comitibus enim ablegatis Ulixes solus Laerti soli in horto opus facienti obvius fit. Cui postquam aliquamdiu ficta protulit confitetur se esse filium (v. 318 sq.). Sed pater ut credere possit, signum postulat (328/9). Deinde Ulixes ei cicatricem ostendit et narrat, quales arbores sibi, puer cum esset, donaverit. Nunc 'pater re vera eum filium esse intellegit. Sequuntur ut semper apud Homerum amplexus, lacrimae, gaudia. Haec autem *ἀναγνώρισις* ruri facta similitudinem quandam habet cum Soph. Peleo et Eur. Oeneo.

Etiam in ceteris carminibus epici cycli qui vocatur *ἀναγνώρισιν* saepius adhibitam esse cogitandum est, quamquam multa certa exempla numerare non possumus. Mam Procli argumentis non semper fidem habendam esse recentioribus studiis [1]) apparuit. Num Cypria quod Procli verba indicant Telephi mythum continuerint incertum est [2]). Sed in eo quod *Νόστοι* inscribitur carmine Neoptolemus ex bello Troiano rediens avum, qui regno privatus Acastum fugit, cognoscit [3]). In Telegonia autem Telegonus ,*κατ'*

[1]) Post v. Wilamowitzium et Robertum in hanc rem inquisivit Bethe Herm. 26 593 sq., Theb. Heldenlieder 1891 II.

[2]) Negat Bethe Theb. Heldenlieder p. 33 adn. 9.

[3]) Welcker Epischer Cyclus II 289.

ἄγνοιαν‘ patrem Ithacam reversum et ab uxore agnitum interficit interfectumque cognoscit[1]). Et in Iliade minore id de Ulixe Troiam invadente narratum est quod in Odyssea *δ* 240—264, et Acamas et Demophon Aethram aviam inveniunt et servitute liberant[2]). Denique in Oedipodia, cui carmini restituendo post Welckerum[3]) et Schneidewinum[4]) Bethe (Thebanische Heldenlieder I) operam dedit *ἀναγνώρισις* inter Oedipum et Iocastam facta est.

Praeter epicos autem lyricos poetas mythos expressisse notum est. Sed *ἀναγνώρισις* quantum scio rarius invenitur et ubi invenitur non peragitur, velut in Pindari carmine Pyth. 4, ubi Iason ignotus Iolcum redit, ut regnum patrium quod Pelias vi arripuerat ipse suscipiat. Forte Peliae ipsi occurrit, qui eum statim ex uno calceo cognoscit. Iason autem nescius quem convenerit, qua fortuna usus sit quidque in animo habeat libere confitetur. Quod cum Peliae quaerenti responderit, cives allocutus interrogat, ubi pater habitet. Cives patris domum ei monstrant, ipse ubi intravit a patre cognoscitur. Haec omnia unus versus continet (v. 120): *ὡς φάτο. τὸν μὲν ἐσελθόντ᾽ ἔγνον ὀφθαλμοὶ πατρός.* Tribus autem sequentibus versibus patris gaudium describitur. Vel in Bacchylidis carmine 18 Thesei ignoti reditus ita nobis refertur, ut Aegeus pater cum choro miratus interroget, quis advena sit, cuius praeclara facta fama laudantur. Sed Theseum ipsum cum patre congredientem non videmus. Apud Stesichorum autem, cuius ex carminibus quantum scire licet Orestia et Helena vel *παλινῳδία* quae vocatur quod argumentum ab Hesiodo poeta mutuatus est, *ἀναγνώρισιν* habuerunt, *ἀναγνώρισις* num fusius narrata fuerit, nescimus. Tamen mihi quidem certum est lyricis poetis quod ad *ἀναγνώρισιν* componendam pertinet tragicos non multum debere. Neque enim exemplaribus aliis uti potuerunt nisi eis in quibus vera *ἀναγνωρίσεως* scaena inerat. Eiusmodi autem carmina erant epica. Ex iis igitur tragici *ἀναγνώρισιν* una cum argumento in fabulas suas arcessiverunt. Atque quantopere etiam formam, quam in carminibus invenerant,. imitati sint, iam earum

---

[1]) A. Gercke, (Neue Jahrb. XV (1905) p. 313 sqq.) qui Telegoniam restituere conatur.

[2]) Welcker Episch. Cyclus II 248.

[3]) Episch. Cyclus II 313 sq.

[4]) Abh. d. kgl. Ges. d. Wiss. zu Göttingen hist.-phil. Abt. 1853 p. 163 sq.

tragoediarum ope, quas in Odysseae cognitionibus describendis attulimus ostendere conati sumus.

§ 27. Nunc autem quomodo tragici *ἀναγνωρίσεις* fabulis suis adaptaverint, utrum *ἀναγνώρισιν,* quae erat in epico carmine, simpliciter transtulerint an commutaverint, denique num ipsi novas *ἀναγνωρίσεις* composuerint accuratius investigandum est. In cognitionibus ipsis dramaticam vim inesse vel ex carminibus epicis apparet. Nam in cognitionibus non poetae narrant, sed homines ipsos alterno sermone loquentes faciunt. Poeta tragicus autem, si *ἀναγνώρισιν* iam in epico carmine summa vi dramatica factam invenit, non habet, quod commutet. Quare non miramur Sophoclem in Ulixe *ἀκανθ.* et Pacuvium in Niptris *ἀναγνωρίσεις* non aliter instituisse atque Homerum et eum poetam qui Telegoniam composuit. Similiter fortasse — neque enim certo scire possumus — epica carmina expresserunt Sophocles in Peleo Nostos et Euripides in Telepho Cypria et Ion, qui Ulixem Troiam invadentem tragoedia tractavit (cf. p. 35), Odysseam vel Iliada minorem. Praeterea Euripidem in Electra et Oedipode forma epicis carminibus simillima usum esse infra videbimus.

Sed plerumque poetae tragici *ἀναγνώρισιν* carminis epici ut suae arti adaptarent mutaverunt. Iam Aeschylus in Choephoris id fecit. Argumentum autem fabulae poetam ex eo carmine Stesichori quod Orestia vocatur mutuatum esse Robert[1]) conicit. Quam sententiam v. Wilamowitz[2]) refutavit, cum demonstravit et Stesichorum et toreuma illud a Roberto adhibitum[3]) et Aeschylum pendere e carmine Delphico. Hoc in carmine *ἀναγνώρισιν,* ut in toreumate illo nobis ante oculos posita esset, factam esse per nutricem quae Orestis vitam servavisset et Talthybium qui puerum ad Strophium portavisset. Hanc scaenam Aeschylum vi dramatica affecisse famulis remotis, ut *ἀναγνώρισις* inter Orestem et Electram ipsos fieret. Recte v. Wilamowitz hoc docuisse mihi videtur, nisi quod addere licet Aeschylum, qui quamquam in Orestia trilogia

[1]) Bild u. Lied p. 149 sq. (Philol. Unters. her. v. Kießling und v. Wilamowitz I).

[2]) Orestie II 246 sq.

[3]) Praeter Robertum cf. Huddilston Die griech. Tragoedie im Lichte der Vasenmalerei übers. v. Maria Hense, Freiburg in Br. 1900 p. 52 sq.

tres actores adhibuit, nondum tres personas in una scaena colloquentes fecit, vel propterea in cognitione internuntios removisse. Euripides autem in Electra *ἀναγνώρισιν* illi carmini similem fecit, cum paedagogum induxit. Sed ea signa quibus Electra apud Aeschylum summa spe afficitur, cirrus et vestigium, nescio an in carmine illo eandem vim habuerint. Priscae enim antiquitatis colorem prae se ferre mihi videntur[1]) et tres illi tragici omnes ea signa commemorant. Aeschylus ea pio animo in cognitione adhibuit, Euripides contempsit atque illusit, Sophocles autem quamquam neque crine neque vestigio in *ἀναγνωρίσει* ipsa usus est, Chrysothemin ex crine deciso Orestem adesse concludentem facit.

Etiam Sophoclem argumentum quod in carmine epico invenit mutavisse videmus in Oed. R. In Oedipodia enim si Bethium sequi volumus Iocasta primo Oedipum Laium interfecisse ex cingulo, quod regi rapuit, cognoscit, postea demum per pastorem equorum, qui puerum in Cithaerone expositum educavit, *σπάργανα* et *κέντρα* monstrantem et *ζωάγρια* poscentem, filium suum eum esse comperit. Quam *ἀναγνώρισιν* ita mutavit Sophocles, ut apud eum per duos pastores simul apertum fiat Oedipum et Laium interfecisse et filium Iocastae esse. In Oedipode Euripidea autem ut in Oedipodia primo caedes Lai, deinde origo Oedipodis in lucem profertur.

Sed etiamsi hac in fabula et in Electra eadem fere *ἀναγνωρίσεως* forma quae erat in carminibus usus est Euripides, tamen id quod e reliquis fabulis apparebit inter tragicos is est qui saepissime mythum mutaverit novumque invenerit. Plane mutavit mythum in Helena, cuius fabulae argumentum ex Stesichori Helena hausit. Sed quid Euripides a Stesichoro desumpserit et quid novaverit postremus v. Premerstein[2]), in Seeligeri commentatione p. 7 sq., quam modo laudavi (adn. 1), nisus, postquam argumentum Stesichorei carminis adumbravit, exposuit. Qua commentatione vir doctus effecit nihil nisi fundamenta fabulae Euripidem Stesichoro debere, reliqua suo ingenio finxisse. Fundamenta autem utriusque

[1]) Seeliger Die Überlieferung d. griech. Heldensage p. 24.

[2]) Philologus N. S. IX (1896) p. 634. Alio cum carmine Eur. Helenam Steiger (Rh. M. 67 p. 202 sq.) confert, qui Menelaum et Helenam ad Homeri Ulixem et Penelopam spectare, sed res heroicas per parodiam illusas esse arbitratur.

poetae communia haec esse. Pro vera Helena, quae a Mercurio miro modo in Aegyptum ad Proteum regem traducta esset, Paridem imaginem secum Troiam duxisse. Cetera omnia discrepare. Apud Stesichorum Menelaum Troia capta cum imagine, quam veram uxorem esse crederet, in patriam redeuntem imaginem quae evanuisset amisisse. Quam cum quaereret in Aegyptum venisse veramque uxorem cognitam a Proteo recuperavisse. Quae si recte v. Premerstein de Stesichori carmine collegit, quid Euripides mutaverit facile intellegitur: praeterquam quod Proteo mortuo Theoclymenum Helenae insidias parantem induxit, imaginem demum in *ἀναγνωρίσει* ipsa evanescentem finxit, qua re effecit, ut spectatorum animi vehementer excitarentur, cum *ἀναγνώρισις* in ipso discrimine fiat et Menelaus Helenae primo non credat. Novum autem mythum Euripides in ea tragoedia invenit, quam in Helena componenda imitatus est, in Iphigenia Taur. Euripidem enim primum omnium poetarum fortunam Iphigeniae immolatae tractavisse, cum nomine *'Αρτέμιδος Ταυροπόλου,* quae Halis Araphenidibus colebatur, et cultu Iphigeniae Brauronensis nisus sit, viri docti consentiunt [1]. Inde apparet etiam *ἀναγνώρισιν*, quae iam compositione ipsa proprium poetae ingenium indicat, a poeta ipso inventam esse. Pariter res se habet in Ione. Recte enim Ermatinger [2]) Sophoclis Creusa vel Ione [3]) neglecta postquam quid ante Euripidem de Ione constiterit demonstravit, nos docet Euripidem totum fabulae argumentum ipsum effinxisse: Apollinis et Creusae amorem, Ionis educationem, iter, quod Xuthus et Creusa Delphos faciunt, *ἀναγνώρισιν* [4]).

Quod modo de *ἀναγνωρίσεων* conformatione statuimus, id quantum omnino ex reliquiis intellegi potest, etiam fabulis deperditis confirmatur velut Antiopa tragoedia. E. Graf [5]) in fragmento 14 Nicolai Damasceni, quod ex Hellanico haustum esse credit Müller (F. G. H. III, 346), simpliciorem et vestustiorem mythi formam expressam esse recte sibi persuasit. Secundum illud fragmentum filii expositi ad matrem revertuntur. Quae rata illos

[1]) Robert Archäol. Zeitg. 1875 p. 134, v. Wilamowitz Hermes 18 p. 254, Bruhn in editione Iph. Taur. p. 1 sq.

[2]) Die attische Autochthonensage Berlin 1897 p. 112 sq.

[3]) Quam fabulam idem argumentum expressisse Welcker censuit (W 391).

[4]) cf. Dieterich in Pauly-Wiss. R. E. VI 1259.

[5]) Die Antiopesage Halle 1880 p. 22 sq.

iuvenes filios suos esse, qua in condicione sit cum eis communicat. Qua re cognita filii Lycum interficiunt et Dircam lapidibus obrutam in mare coniciunt. Euripides autem actionem in Cithaeronem montem transtulit, ubi filii a pastore educati sunt. Antiopa ex carcere eo confugit et Dirca ut ferias Bacchicas celebraret in eundem montem venit. Hac rerum mutatione poeta similiter atque in Helena effecit, ut in cognitione spectatorum animos quam maxime excitaret, cum cognatos, ut libenter fecit (p. 13) primo conventu ignotos discedentes, deinde pastoris opera se cognoscentes fingeret. Etiam liberius Euripidem traditam fabulae formam mutavisse in Hypsipyla Robert Herm. 44 p. 398 sq. ostendit. Apud Euripidem enim viri a mulieribus Lemniis non ante adventum Argonautarum, sed postquam iam Lemno profecti sunt, trucidantur neque Hypsipyla Lemni manet, sed Corinthum in servitutem detrahitur. Novam autem *ἀναγνώρισιν* argumento, in quo antea non inerat, Euripidem ipsum addidisse existimo in eis tragoediis, quae ex eo quod *'Αλκμαιωνὶς* vocatur carmine fluxerunt: in Oeneo et Alcmeone Corinthio. In carmine illo nihil narratum videtur fuisse nisi Oeneum senem a filiis Agrii vexatum a Diomede revertente liberatum esse, regnum autem eum non suscepisse, sed Andraemonem, qui filiam Oenei in matrimonium duxerat (Apollod. I, 8, 6)[1]. Contra in Euripidis tragoedia primo inter Diomedem advenientem et Oeneum regno expulsum in agro *ἀναγνώρισιν* factam esse, deinde Oeneum in regnum restitutum esse vidimus (p. 48). Quod Euripides haud scio an Sophoclis Pelei, cuius restitutioni iam semper *ἀναγνώρισις* antecedebat (p. 65), memor novaverit. Alcmeonem autem *τὸν διὰ Κορίνθου* unam rem cum carmine illo communem habere Immisch (l. l.) docet, quod Alcmeonis filius Archilochus oraculo Apollinis iussus *Ἄργος 'Αμφιλοχικὸν* condit, ex alio autem mytho Alcmeonis insaniam sumptam esse. Sed totam fabulae compositionem Euripidis ingenio deberi confitendum est. Etiam in Alexandri mythum, qui in Cypriis cognitione caruisset, a poeta ipso sive Sophocle sive Euripide *ἀναγνώρισιν* insertam esse Robert[2]) exposuit, qui novam mythi conformationem Sophocli Herodotum qui similia de Cyri iuventute narrat (I 116) imitanti tribuere mavult.

Posteriores autem poetas tragicos eodem modo *ἀναγνωρίσεις*

---

[1]) Immisch Klaros Neue Jahrbücher Suppl. 17 p. 191.

[2]) Bild u. Lied p. 233. Excurs IV.

novas in argumenta intulisse iam supra nonnullis exemplis demonstravimus (p. 57).

§ 28. Ex iis autem tragoediis, quas modo inspeximus, satis apparere existimo primo epicos poetas ἀναγνωρίσεις adhibuisse, ab iis autem tragicos in usum suum recepisse atque sua arte excoluisse novasque finxisse. Sed ne ab epicis quidem poetis hoc artificium inventum esse crediderim, sed iam in mythis fuisse. Et recte G. Freytag (l. l.) de mythis dicit: *Die Helden der griechischen Sage sind fast ohne Ausnahme ein umherschweifendes Geschlecht. Ausziehen und wiederkehren, Freunde und Feinde unerwartet finden, gehörte zu den häufigsten Zügen der Sage. Fast jeder Sagenkreis enthält Kinder, welche ihre Eltern nicht kannten, Gatten, welche nach längerer Trennung einander unter bedenklichen Umständen wiedersahen, Gastfreunde und Feinde, welche Namen und Absicht klug zu verhüllen suchten.* Et fortasse id non modo in Graecorum mythos, sed etiam multarum aliarum ne dicam omnium fere gentium cadit. Telegono et Oedipodi similes mythos apud varias alias gentes inveniri iam diximus (p. 21 [3]) et 25 [2]). Unam rem, maritum ad uxorem redeuntem, persecutus est Splettstösser [1]). Ex nostris autem mythis pauca exempla affere liceat: Gudrun et Herwig sponsi anulis se cognoscunt[2]), Hagen a matre stella aurea in pectore sita cognoscitur[3]), Ortnit Elberichum patrem suum esse comperit[4]), Biterolf cum filio (Dietleib) congressus eum ex gladio quem domi reliquerat cognoscit[5]). Praeterea quam plenae ἀναγνωρίσεων sint eae fabellae quas nos ‚Märchen' appellamus nemo nescit[6]).

Est igitur ἀναγνωρισμὸς artificium antiquissimum et vulgatissimum ex vita ipsa haustum quod semper viguit semperque vigebit.

---

[1]) Der heimkehrende Gatte und sein Weib Berlin (diss.) 1898.

[2]) Uhland Schriften zur Gesch. d. Dichtung u. Sage I 79.

[3]) I 75. [4]) I 35. [5]) I 43.

[6]) cf. Gebr. Grimm Kinder- u. Hausmärchen 1888 [22] num. 9, 11, 25, 31, 67, 76, 92, 96, 101, 186, 193, 198.

Argumentum.

Caput I.

Qua arte ἀναγνώρισις composita sit.

1. Qui homines se agnoscant (§ 1).
2. Qua in re ἀναγνώρισις posita sit.
   a. Qua re homines separati sint (§ 2),
   b. quae causa ἀναγνωρίσεως sit (§ 3),
   c. qua forma poetae eas res nobiscum communicent (§ 4),
   d. quo modo ante ἀναγνώρισιν ipsam spectatorum animi excitentur (§ 5).
3. De scaenis ipsis.
   a. De compositione.
      Ἀναγνωρίσεις duplices bipartitae formae: in Aesch. Choeph., Soph. Electra, Eur. El. (§ 6), in Ione similibusque tragoediis (§ 7), in Iph. Taur. Helena, Pacuv. Atalanta (§ 8), in comoediis: Plauti Poen. Capt. Men. Curc. (§ 9);
      ἀναγν. duplices in quibus simul utraque persona rem perspicit: in Soph. Eur. Senecae Oedipode (§ 10), in Plauti Rud. Vidul. (§ 11), in Menandri Periceir. (§ 12), in Epid. Poen. priores ἀναγνωρίσεις (§ 13);
      ἀναγν. duplices quae fiunt altera persona absente: in Cistell. Heaut. (§ 14), in Andria, Phorm. (§ 15), in Eun. Hec. Epitr. (§ 16);
      ἀναγνωρίσεις simplices (§ 17).
   b. De affectu (§ 18).
   c. De forma metrica (§ 19).
4. Quem locum ἀναγνώρισις in totius fabulae compositione occupet.
   a. Res antea conexas dissolvit (§ 20),
   b. actionem promovet (§ 21).
5. Conspectus ἀναγνωρίσεων.
   a. De Aristotelis descriptione quae est in a. p. c. 16 (§ 22).
   b. Quomodo ἀναγνωρίσεις distribui possint, si qua re efficiantur quaerimus (§ 23).

Caput II.

Unde nata sit *ἀναγνώρισις* et quo modo eius usus increbrescat.

1. Quo modo usus mutetur in poesi dramatica.
   a. in tragoediis (§ 24),
   b. in comoediis (§ 25).
2. Unde *ἀναγνώρισις* in dramata venerit.
   a. *Ἀναγνώρισις* quae sit in carminibus epicis et lyricis (§ 26).
   b. Quo modo poetae tragici *ἀναγνώρισιν* in suum usum converterint (§ 27).
   c. *Ἀναγνώρισις* quae iam fuerit in mythis (§ 28).

Additamenta

Ad pag. 51: Postquam haec pagina iam ex prelo exiit, A. Gercke mecum communicavit loco illo Aristotelis sibi scribendum videri *αἱ πεποιημέναι ἀπὸ τοῦ ποιητοῦ*. Addit autem haec: Dieses *ἀπὸ* kann ebenso die Herstammung von bezeichnen wie ‚auch um willen, mit Rücksicht auf, wegen' und ist öfter in *ὑπὸ* verderbt, namentlich bei passiven Formen. So ist also *πεποιημέναι* bestimmt gewesen.

Ad. pag. 58: Modo incidi in ea quae scripsit Römer Rhein. Mus. 63, 353 (et antea Bayr. Sitz.-Ber. 22. Bd. p. 66). Contendit is autem etiam in Aristophanis Ranis (v. 738—755) tragicam *ἀναγνώρισιν* per parodiam expressam esse.

Vita

Natus sum Paulus Hoffmann a. d. VII. Id. Febr. a. 1887 Glogoviae patre Gustavo, qui praematura morte mihi ereptus est, matre Aemilia e gente Hoffmann. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus gymnasium evang. Glogoviense adii. Vere a. 1906 maturitatis testimonium adeptus studiis philologicis me dedidi primo per duo semestria in universitate litterarum Berolinensi, deinde aestate a. 1907 in universitate Heidelbergensi, postremo ab autumno eiusdem anni per duos annos in nostra alma matre Vratislaviensi.

Docuerunt me hi viri doctissimi Berolinenses: Diels, Helm, Lasson, Muench, Norden, Riehl, E. Schmidt, Vahlen, Wentzel, v. Wilamowitz-Moellendorf, Wölfflin; Heidelbergenses: Brandt, v. Domaszewski, Dieterich †, v. Duhn, Koch, Uhlig, Voßler. Vratislavienses: Baumgartner, Cichorius, Drescher, Foerster, Hoenigswald, O. Hoffmann, Koch, Kuehnemann, Muther †, Siebs, Skutsch, Stern, Wendland, v. Wenckstern, Ziegler.

Ad seminaria me admiserunt Cichorius, Foerster, Koch, Kuehnemann, Skutsch, Stern, Wendland.

Quibus viris doctis omnibus magnam habeo semperque habebo gratiam, summam autem Skutschio, qui ubi primum Vratislaviam me contuli, studia mea fovit et in hoc opusculo conficiendo benignissime me adiuvit. Neque Richardi Foerster et Alfredi Gerke consiliis pauca me debere grato animo confiteor.